



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Usu & Abusu Doctrinæ Divi Thomæ Pro Xaveriana
Academia Collegii Sanctaefidensis in Novo Regno
Granatensi, &c**

Martinez de Ripalda, Juan

Leodii, 1704

Quæstio III. Cur Processio secundæ Personæ Trinitatis sit Generatio; non
verò Processio tertiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84322)

vel virtualiter, vel ratione distinctâ ab essentia, omnino consistere, loquendo in sensu formali, aut virtuali.

Expono
S. Athanasium &
D. Thomam hic
quæst. 36.
art. 4.

105. Respondeo ad primum Sancti Athanasii, Patrem hypostasi gignere, prout includente divinam essentiam ad potentiam generativam, & intellectionem ad ipsam generationem; vel gignere hypostasi ut principio distinctivo, aut individua- li constituyente in Patre potentiam generativam, & ipsam generationem. Ergo hypostasis est ratio faciendi potentiam generativam, & ipsam generationem propriam Patris. Ad secundum Divi Thomæ dicitur, mentem Angelicam fuisse, quod sicut Pater, & Filius sunt unus Deus propter unitatem formæ specificæ, vel absolutæ, scilicet Deitatis significatæ per hoc nomen *Deus*; sic Pater, & Filius sunt unum principium relativè ad Spiritum Sanctum; quia relatio spiratoris, quæ talè principium constituit ut ratio individualis, & distinctiva; est etiam unica: Principia etenim in divinis solum multiplicantur per relationes: Inde tamen non probatur, quod sola relatio spiratoris sit principium quo: Imò hoc ab ejus mente alienissimum est.

Neorobis
opinionem
Angelicis in r.
sententiar.
quæst. 1.
art. 3.

106. Major difficultas apparet in secundo Divi Thomæ testimonio: Quapropter Cajetanus, Godoyus, atque Gonetus aiunt, S. Thomam in libro sententiarum in eâ fuisse sententiâ, ut assereret, solam Paternitatem esse principium quo proximum; quam sententiam in summâ postea impugnavit, & retractavit. Cæterum verius est, Doctorem Angelicum hanc nostram semper tenuisse sententiam in primo libro sententiarum: Tum quia ibi distinct. 7. art. 2. ex professo agens de potentia generandi, in corpore sic inquit: *Essentia, secundum quod est ipsa Paternitas, est principium actûs, qui est generare; non sicut agens; sed sicut quo agitur: Unde principium generationis est essentialè sub ratione relationis; unde est quasi medium inter essentialè, & personale: Ex parte enim illâ, quâ potentia, quæ est media inter essentialè, & operationem, radicatur in essentiali, est absolutum: Ex parte autem illâ, quâ conjungitur cum operatione, est relativum.* Tum quia idem docet in solutione ad secundum, & tertium. Ex quibus patet, semper nostram docuisse sententiam; quod scilicet ex aliquo, quod radicatur in essentiali per modum potentia; & ex ipsâ relatione constituitur principium generationis. Quod quidem Doctores Thomistæ non videntur satis considerasse. Ad illud autem de casu distinctionis inter essentialè, & relationem, respondeo, mentem Divi Thomæ fuisse, quod si relatio distingueretur realiter ab essentiali, principium formale proximum esset relatio; non quidem

Theol.

sola ut relatio; sed ut intellectus, vel cum intellectu, qui in eo casu etiam distingueretur ab essentiali: Quia ex suppositione distinctionis realis absolutè impossibilis, vi consequentiæ contingeret id ipsum, quod defendimus in creaturis, ubi proprietates, seu potentia operativæ distinguuntur realiter, se habente essentiali ut principio primo, & radicali. Ex quibus nihil ex Divo Thomâ contrâ nostram Conclusionem inferatur.



QUÆSTIO III.

Cur Processio secundæ Personæ
Trinitatis sit Generatio;
non verò Processio
tertiæ?



UM altum hoc æternæ generationis secretum; sobriè tamen, recludere accingor, vastissimum quidem pelagus, & multorum naufragiis celebre ingredi video; cujus profunditatis abyssus, vel magnitudo plurimorum ingenia sic absorbit, ut exemplo posteritati fuerint, non oportere anchoram reficere in altum, nisi ex divini numinis secundus ventus adspiret, & ab omni mundanæ sapientiæ flatu mortalis ingenii vela decumescant. *Generationem enim ejus quis enarrabit? Stupet certè natura; ratio suscipit, Philosophia miratur: Sola Fides animosa docet; cui natura obsequium dare, parere ratio, & Philosophia subijci debet.* Meritò ergò antequam ad certamen his tricis implexum, humana ratio descendat, suspirium pro divinâ luce his carminibus quàm humillimè tollimus:

*Aura potens, Amor ignipotens, spiritale numen,
Amborum communis Amor, Cæli aurea flamma;
Sancte veni, sanctis accende ardoribus orbem:
Divinum Flamen, nostris te mentibus affla.*



Z 2

LECTIO

LECTIO I.

Ratio dubitandi, & pro eâ expediendâ, Doctorum placita.

Ratione dubitandi propono.

107. **R**atio igitur dubitandi, eaque difficillima in presenti sic à Doctoribus communiter formatur: *Generatio viventium est origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ.* Sed processio Spiritus Sancti est origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ. Ergo est generatio. Major ab omnibus recipitur. Minor verò probatur, per singulas talis definitionis particulas decurrendo. In primis enim processio Spiritus Sancti est *origo viventis*; cum sit Personæ viventis productio. Deinde est *à principio vivente*; cum sit à Patre, & Filio tanquam ab unico principio. Præterea est *à principio conjuncto*: Quia id solum denotat principii generantis conjunctionem cum genito; quæ conjunctio perfectior invenitur inter Spiritum Sanctum cum Patre, & Filio, ac est in creatis, ubi conjunctio solum salvatur per partem substantialem decisam à generante: In divinis verò est per identitatem naturæ, quæ est eadem in termino procedente, ac in principio, à quo procedit. Denique processio Spiritus Sancti est *in similitudinem naturæ*: Quæ id tantum denotat, terminum productum habere eandem vel specie, vel numero naturam cum suo principio. At Spiritus Sanctus eandem specie, & numero naturam habet cum Patre, & Filio. Ergo de primo ad ultimum processio Spiritus Sancti erit generatio.

Ejus difficultatem agnovit S. Augustinus de

108. En difficultatem, quæ tor salebris inexpedibiliter implicatur, ut ingeniorum Aquila Augustinus lib. 2. de Trinitate, cap. 5. & lib. 3. cap. 14. in hæc eruperit verba: *Non omne, quod procedit, nascitur, quantum omne procedat, quod nascitur: Hac scio; distinguere autem inter illam generationem, & hanc processionem, nescio, non valeo, non sufficio.* Ita Augustinus. Sed tamen intra modum nostrum sobriè, ac reverenter agendo, ut & Filii generationem, & Spiritus Sancti processionem expendere, discutere, ac distinguere possimus; oportet prius altè impressa Scholasticorum vestigia ante omnia relegere.

z. Sécetia tener, non debere illius dif-

109. Prima in hæc difficultate sententiâ fuit aliquorum, qui eâ convicti, dixerunt, nullam hujus discriminis rationem; cur scilicet una processio generatio sit;

non verò alia; investigandam esse. Ita ^{crimini} Magister sententiarum, quem sequuntur ^{investigati} Major, & Gabriel, fundati auctoritate aliquorum Sanctorum Patrum asserentium, talis Mysterii ignorare rationem. Sic Damascus lib. 1. de Fide, cap. 10. Athanasius Dialogo 3. Basilius Homilia 2. contra Sabellianos, Augustinus lib. supra citato; ac proinde tenent, hoc inquirere, turum non existimari, quod Trinitati solum cognitum est. Verum hi Doctores in hoc prolato extrâ nostram controversiam existunt, utpotè Quæstionis titulo se opposentes; & rejiciuntur facile ex communi Doctorum sententiâ, qui in hujus rei ratione reddendâ, laudabiliter insudarunt, hærentes vestigiis Sanctorum Augustini, Anselmi, & aliorum, qui licet evidentem, & demonstrativam rationem non invenerint; tamen suppositâ fide, rationem congruentem, & probabilem, cur una, & non alia harum processionum generatio sit; investigarunt. Nec aliud Sancti Patres voluerunt, quam demonstrativam hujus dubii rationem solo naturali lumine non posse defendi: Quod quidem libenter, & in obsequium Fidei omnes factemur.

110. Secunda sententia docet, Spiritum Sanctum ideò non esse genitum; bene ^{z. Et 3.} tamen Verbum; quia hoc ab uno supposito; ille verò à duobus procedit. Quam sententiam illustrarunt noviter peracuti nostri Recentiores. Tertia sententia asserit, secundam Personam suâ processione evadere Filium; non autem Spiritum Sanctum; quia licet utrique communicetur ex vi processionis natura divina, & consequenter ut similis suo principio Spiritus Sanctus procedat; non tamen procedit per modum imaginis; quod necessarium erat, ut esset Filius. Hanc tenent Canariensis, & Torres, eamque postea multis illustravit acutissimus noster Valquez disputat. 113. cap. 6. & 7. cui postea subscribere Turrianus disput. 2. dubitat. 7. Alarcon. tract. 5. disputat. 8. cap. 16.

111. Quarta aliorum sententia est, ^{4. Et 3.} ideo Verbum esse Filium, quia accipit ^{chardi à} naturam ex vi processionis ad alterius ^{Sancto} ^{Victore.} positi productionem fecundam; Ac proinde Spiritum Sanctum ideò non esse Filium, quia licet ex vi processionis sit similis suo principio in essentiâ; non tamen in naturâ sub conceptu naturæ, eò quòd hæc consistit in fecunditate alterius suppositi productivâ, quam sic non accipit Spiritus Sanctus. Ita Richardus de Sancto Victore lib. 6. de Trinitate, cap. 18. quem sequuntur PP. Zunniga, & Martinon disputat. 24. sect. 9.

112. Quin-

5. Tribuitur Ribadeneyra.

112. Quinta sententia tribuitur P. Ribadeneyra disput. 4. de voluntate Dei, cap. 2. à num. 22. qui supponens, intellectiōnem, & volitionem divinam esse objectivè, & virtualiter omnino idem; & ex parte Patris utriusque personæ communicari ex vi processionis satis insinuat, idè secundam Personam potius, quàm tertiam, esse Verbum; quia clariùs suum principium explicat intelligens, quàm volens: Tertia verò Persona econtra clariùs explicat suum principium ut volens, quàm ut intelligens; seu quia Personalitas secundæ Personæ clariùs explicat eam ut accipientem à suo principio intellectiōnem, quàm volitionem: Personalitas verò tertie Personæ clariùs explicat eam ut accipientem à suo principio volitionem, quàm ut accipientem intellectiōnem. Quo autem pacto Personalitas Verbi valeat explicare potius intellectiōnem, quàm volitionem acceptam à suo principio; cum in utràque objectivè, & virtualiter sic idem omnino; respondet ingeniosus Doctor, hanc diversimodam explicationem non impediri omnimodà identitatem etiam virtuali inter intellectiōnem, & volitionem; sicut identitas etiam virtualis inter essentiam divinam, & ejus aptitudinem, ut identificetur realiter triplici Personalitati divinæ, non impedit, quominus creaturæ clarè explicent ipsum Deum sub conceptu Deitatis, quoniam eum explicent sub conceptu aptitudinis, ut identificetur triplici Personalitati. Eandem sententiam sequitur Quiroz disput. 36. sect. 6. pro generatione Verbi potius, quàm processione Spiritus Sancti.

Communissima est pones processione verbis ideo esse generatiōnem, quia est per intellectum.

113. Alia communissima sententia est, processionem Verbi esse generationem; quia est per intellectum; non verò talem esse processionem Spiritus Sancti, quia est per voluntatem. Tribuitur hæc sententia Divo Thomæ in primò distinct. 3. quæst. 1. artic. 3. ad 3. & distinct. 28. quæst. 2. artic. 3. in corpore; & passim alibi. Divum Thomam sequuntur ex nostris eximius Doctor Pater Suarez, P. Molina, Valentia, Arrubal, & Recentiores omnino plures; ex Thomistis verò Cajecanus, Ferrara, Joannes, Zuzmel, Godoy disp. 74. §. 1. Gonet artic. 4. §. 4. & frequentissimè innumeri alii.

In eadem explicanda tot sunt opiniones, quot capitula.

114. Quamvis tamen in hanc sententiam major Theologorum pars conspirat; at pro ejus explicatione tot sunt opiniones; quot capita. Noster Suarez, quem nobiles Recentiores sequuntur, sic eam explicat. Nam eo ipso, quod Verbum per intellectum procedat, & per voluntatem Spiritus Sanctus, Verbo communicatur intellectiō, & Spiritui Sancto volitio. Sed

Theol.

intellectio est constitutivè ipsa essentia divina; secus autem volitio, quæ naturam constitutam supponit. Ergo Verbum eo ipso, quod per intellectum procedat, evadit ex vi suæ processionis simile suo principio in naturâ, & consequenter Filius: Spiritus verò Sanctus eo, quod per voluntatem procedit; non evadit similis in naturâ; sed in attributo naturæ; & consequenter nec est Filius, nec genitus. Salmanticenses autem lib. de Trinitate, disput. 2. dub. 3. & disput. 3. dub. 3. aliique Recentiores Thomistæ cum P. Suario in eo conveniunt, quod Dei naturam in actuali intellectiōne constituent: Quo supposito, rationem Divi Thomæ sic formant. Verbo ex eo, quod per intellectum procedat, communicatur divinum intelligi. At intelligi, & intelligere sunt omnino idem in Deo. Ergo ex vi processionis communicatur illi divina intellectiō, & consequenter divina natura in intellectiōne consistens; quod quidem non contingit in processione Spiritus Sancti, quæ per voluntatem est. En sententias, in quas circa præsentem controversiam Scholastici Doctores hinc inde distrahuntur: A quarum tamen impugnatione pro nunc consultò abstinemus, ne dum claritati insistimus, majori caligine Quæstionem per se difficillimam obscuremus; quale autem judicium sit ferendum contra prædictas opiniones, ex dictis pro sententiâ nostrâ facile constabit.

LECTIO II.

Nonnulla ex veriori doctrinâ fundamenta jaciuntur.

115. **P**ro pleniori expediendâ difficultatis intelligentiâ suppono primò controversiam inter Doctores præcipuam non esse, quare secunda Persona Trinitatis sit Verbum potius, quàm tertia; vel quare hæc sit Spiritus Sanctus potius, quàm secunda: Hujusmodi autem difficultatem facile, & fortè absque ullo de re dissensu omnes expedirent, recurrendo ad intellectum, & voluntatem: Cum enim de ratione intellectus sit, quod medio suo actu formet conceptum, quem communi vocabulo *Verbum* dicimus; & secunda Persona per intellectum procedat juxta ea, quæ Quæstionibus antelapsis fusiori calamo expendimus; hinc clara redditur ratio, quare secunda Persona procedat ut Verbum. Jam verò cur tertia Persona Spiritus Sanctus dicatur, & nullo modo Verbum;

Quæstio non est, cur 2. persona sit Verbum potius, quàm 3.

Z 3

licet

licet ratio non sit ita perspicua (ut infra constat) ac ea , quam pro secunda Persona assignavimus ; nihilominus sic potest explicari : *Spiritus* est nomen impositum ad significandam subtilitatem alicujus naturæ ; & sic hoc nomen applicatur tantum rebus corporeis , quam incorporeis ; ærem enim spiritum dicimus propter subtilitatem ; & ex hoc attractio aeris , vel ejus expulsio dicuntur spiratio , & respiratio ; hinc etiam illi vapores subtiles , per quos in partes corporis virtutes animæ diffunduntur , spiritus vitales communiter appellantur ; quorum notitiam naturalem tradidi in Tractatu in Generatione.

Idcirco incorporea dicuntur spiritus, ut potest remotionem a materialitate.

116. Similiter autem incorporea propter subtilitatem dicuntur spiritus ; sic dicimus duos spiritus Angelum , & animam rationalem ; & ex hoc dum videmus aliquos se amantes , sibi que concordantes , dicimus , esse unius spiritus , vel in unum conspirare , seu omnes esse unum cor , & unam animam , juxta Aristotelem Etycor. 9. *Proprium amicorum est , unam animam in duobus corporibus esse.* Jam vero cum subtilitas , à qua spiritus nomen trahit , explicetur per remotionem à materialitate ; ita , ut ea quæ multum de materialitate participant , dicamus *Grossa* , sicuti sunt terra , lignum , &c. ea vero , quæ minus de ea participant , dicimus subtilia , sicuti aer , elementum ignis , &c. fit planè , quod cum incorporea removeantur à materia , & præcipue Deus , qui in supremo immaterialitatis gradu existit ; spiritualitas secundum significationem hominis prius , & maxime Deo comperat ; deinde rebus incorporeis magis , quam corporeis , licet subtilibus , ut jam præcipue Scholasticorum usus obtinuit ; licet forte secundum impositionem hominis spiritualitas magis se habeat ad corporalia , eò quod nobis , qui nomina imposuimus , eorum subtilitas est magis nota.

Illà autem ratione spiritus est nomen tribus personis commune.

117. Ex dictis possumus affirmare , hoc nomen *Spiritus* , in quantum significat subtilitatem naturæ , & remotionem ab omni materialitate , commune esse tribui divinis Personis. Sed ex duplici capite tertia Persona dicitur Spiritus Sanctus : Primo & est præcipua ratio Divi Thomæ in primo distinct. 10. quæst. 1. artic. 4. Quia per tertiam Personam , & dona ipsius trahimur in participationem divinæ spiritualitatis , in quantum à temporalibus removemur ; & ideo rerum temporalium contemporores viri spirituales ; hoc autem specialiter convenit tertiæ Personæ , in quantum procedit per voluntatem ut Amor , qui habet rationem primi doni , in quo omnia dona donantur. Alià ratio est : Quia

est Amor Patris in Filium , quo se diligunt , & amantem , & amatum in spiritu uniri , dicimus.

118. Quare autem tertia Persona non solum *Spiritus* ; sed etiam dicatur *Sanctus* ; ratio esse potest. Quia cum bonum amatum habeat rationem finis , & eo fine motus voluntatis dicitur bonus , vel malus ; necesse est , quod Amor , quo summum bonum amatur , eminentem quandam bonitatem obtineat , quæ nomine *Sanctitatis* solet explicari ; sive *Sanctum* accipiatur quasi *Purum* , ut Græci usurpant ; quia in Deo est purissima bonitas ab omni defectu immunis ; sive dicatur *Sanctum* , id est *firmum* , ut habent Latini ; quia in Deo est immutabilis Bonitas. Quapropter omnia , quæ in Deum ordinantur , sancta dicuntur , ut templum , & ejus vasa , &c. Habemus igitur , quare secunda Persona *Verbum* , & tertia *Spiritus Sanctus* dicantur. Modò superest difficultas ; quare scilicet secunda Persona sit Filius , & ejus processio generatio ; non vero Spiritus Sanctus , nec ejus processio ?

119. Suppono secundò quod intellectus noster possibilis simul ac recipit speciem intelligibilem , v. g. hominis ; format conceptum expressivum hominis ; ita ut simul ac ipsum format , hominem in ipso contempletur ; quemadmodum Petrus in speculo sibi objecto , sui format speciem , & simul se in speculo videt. Ratio hujus doctrinæ clarissima , & nobis cum Divo Thomâ familiaris est. Quia cum intellectus utpote potentia pure spiritualis , & interna , non possit ferri immediate in res materiales , & corporeas , quæ sunt physice ; & realiter extrinsecus animam ; hoc enim spectat ad sensus materiales , & externos ; necesse habet , mediâ specie intelligibili , quæ oritur ab ipsis rebus , verbum producere , quod sit expressa similitudo rei , ut rem in tali verbo , seu conceptu percipiat ; Quemadmodum si Petrus velit se videre , necessum habet sui speciem in speculo formare , mediâ quâ se , non immediate in se ipso ; sed in specie speculi videat : Hoc enim , quod est species speculi , ut Petrus se videat , est intellectus noster possibilis verbum , quod mediâ specie impressâ efformat , ut rem , cujus tale verbum est expressa similitudo , in eo cognoscat , aut intelligat ; sic ergo salvatur , & intelligitur illud satis commune principium ; quod scilicet intellectus noster ex necessitate intelligendi verbum producit.

120. Suppono tertio hoc esse discrimen inter intellectum , quâ intellectus noster rem in verbo cognoscit ; & ipsummet verbum ; quod scilicet hoc se habet per modum procedentis à potentia intellectivâ ;

Do ratio nem, cur 3. Persona sit Spiritus Sanctus.

Intellectus noster possibilis, intelligibili hominis specie recepta, ejus expressivum conceptum efformat.

Verbum nostrum differt ab intellectu in eo, quod scilicet

illud se habet per modum procedentis à potentia intellectivâ. fecus autem intelligere, seu intellectio, quia à potentia immanenter aliquid operante, actio immanens non est quæ egredietur; sed solum ejus terminus: terminus autem actionis, quæ dicitur intellectio, solum est verbum mentis: & sic sentit Sanctus Thomas opuscul. 13. de differentiâ divini verbi & humani, his verbis: *Cum intelligere non sit actio egrediens ab intelligente; sed in ipso maneat; verbum autem interius conceptum per modum egredientis se habet, quod estatur verbu exterius vocale, quod est ejus signum: Illud enim egreditur à dictione vocatiter ad extra: Illud ergo proprie dicitur verbum interius, quod intelligens intelligendo format.* Sic S. Thomas. Unde sicut verbum vocale, quod est signu mentalis semper se habet per modu egredientis ab ore, sic verbum mentale se habet per modu procedentis ab intellectu facundo per actum, quo simul diligit, & intelligit, juxta explicationem datam de constitutivo potentia generativâ.

Duplex verbum in intellectu nostro considero, aliud quod est similitudo alieni rei ab intellectu distincta.

121. Suppono quartò, quod, cum verbum mentis, juxta nuper dicta, significet aliquid procedens ab intellectu, & in intellectu taliter existens, ut sit expressa similitudo rei intellectæ. Duplex verbum possumus in nostro intellectu considerare: aliud quod sit similitudo intentionalis alienius rei distincta ab ipso intellectu: sic posita specie intelligibili lapidis in intellectu, mediâ eâ format verbum solius lapidis expressivum: unde licet tale verbum procedat ab intellectu, non tamen procedit ut referens similitudinem intellectus à quo procedit; sed ut referens similitudinem lapidis, cujus species est in intellectu. Hujusmodi autem sunt omnia, quæ noster intellectus efformat, ut intelligat alia objecta à se distincta.

Allud est, quod intellectus producit ut se ipsum intelligat.

122. Quia verò noster intellectus non solum habet intelligere alia objecta; sed etiam se ipsum intelligere: Tunc quidem cum intellectus se ipsum intelligit, vel ut se intelligat, producit verbum: hoc autem verbum habet simul, quod procedat ab intellectu, & quod procedat ut similitudo illius à quo procedit. Ratio est. Quia cum omne verbum interius ex natura sua habeat, quod sit similitudo expressa rei intellectæ; & intellectus quando intelligit, habeat simul & esse intelligens, & esse res intellectæ; deducitur clarè verbum illud, quod tunc ab intellectu procedit, non solum procedere utcumque ab intellectu: sed necessariò procedere ut similitudinem illius à quo procedit. Natura igitur hujus verbi est, quæ magis accommodatur ad explicandam processionem verbi divini, ut notat Divus Thomas quæst. 2. de Potentiâ, artic. 1. his verbis: *Sicut autem in nostro intellectu se ipsum intelligente, invenitur quoddam verbum progrediens, ejus, à quo progreditur, similitudinem gerens: Ita & in Divinis invenitur Verbum similitudinem ejus, à quo procedit, habens.* Idem refert opus. 3. hoc

sensu expendens Sanctum Augustinum hoc modo: *Et idè Augustinus ponit similitudinem Trinitatis in animâ, secundum quod mens intelligit se ipsam, non autem secundum quod intelligit alia.*

123. Suppono quintò quod licet natura nostri verbi mentalis congruentiam aliquam importet ad intelligendum, vel loquendum de Divinâ Verbi processione: nihilominus Divinum Verbum de Paternâ mente procedens, in multis à nostro verbo discriminetur. Prima differentia sumitur ex eo, quod verbum nostrum prius fuit efformabile, seu in potentia, quam efformatum, sive in actu. Ratio est. Quia eo modo quo potentiam habet, seu est in potentia intellectus noster, ut se intelligat; cum alio modo non possit intelligere, nisi efformando verbum; eo modo verbum nostrum erit efformabile, sive in potentia. Ratio etiam est. Quia cum intellectus Patris semper essentialiter, & necessariò sit in actu intelligendi, semper est actu verbum ejus, ab ipso procedens.

124. Secunda differentia sumitur ex eo quod verbum nostrum est imperfectum: Verbum autem divinum est perfectissimum. Ratio hujus assignatur ab Angelico Doctore opusculo citato his verbis: *Quia nos non possumus omnia, quæ sunt in animâ nostrâ uno verbo exprimere; & idè oportet, quod sint plura verba imperfecta, per quæ divisim exprimamus omnia, quæ in scientia nostrâ sunt: In Deo autem non est sic: cum enim ipse intelligat, & se ipsum; & quicquid intelligit per essentiam suam unico actu, unicum verbum divinum expressivum est totius, quod in Deo est; non solum Patris; sed etiam creaturarum: aliter esset imperfectum: Unde ait S. Augustinus, si aliquid minus esset in verbo, quam in scientiâ continetur dicentis, Verbum esset imperfectum.*

125. Tertia differentia est, quod verbum nostrum quod procedit ab intellectu, cum hic se intelligit, non est ejusdem naturæ cum intellectu. Ratio est, quia verbum creatum, sive expressivum sit aliquid rei ab intellectu distinctæ, sive sit expressivum ipsius intellectus; à quo procedit; semper est alius essentia, & naturæ à re, cujus est similitudo: etenim verbum lapidis non est ejusdem naturæ cum lapide extra animam existente: nec verbum expressivum ipsiusmet intellectus est ejusdem naturæ cum intellectu nostro: nam si intellectus sit ipsa essentia, aut natura animæ (ut aliqui docent) sic habebit naturam & essentiam substantialem; verbum autem illius, cum sit quoddam accidens intentionale, solum habet naturam accidentalem. Si verò intellectus noster sit potentia distincta ab animâ (quod verius putamus) tunc intellectus habet naturam, seu essentiam potentia; verbum autè quod procedit ab intellectu ut illius expressa similitudo, est accidentalis potentia intellectivâ, ac proinde longè diver

Verbum nostrum à divino differt in eo, quod prius fuit in potentia, quam in actu.

Rursus, quia est imperfectum, divinum autè verbum perfectissimum.

Item differt in eo, quod nostrum ab intellectu se intelligente genere procedens non est ejusdem naturæ cum illo.

diversa naturæ ab eo, à quo procedit.

126. At Verbum Divinum, cum in Deo accidens esse non possit procedit ut substantialis similitudo Patris, & ejusdem naturæ cum illo, ita ut quæ Verbum, procedat ut similitudo rei intellectæ, & quæ divinū progrediatur ut simile in eadem naturâ Patris: Intellectus autem creatus, cum se intelligit, communicat suo verbo quondam esse accidentale in diversâ essentiâ, & naturâ ab eâ, quam intellectus habet: at Pater æternus, cum se intelligit communicat in verbo esse ejusdem naturæ, quam Pater habet. Unde in intellectu nostro verbum lapidis habet quidem esse lapidis, non naturale; sed solum accidentale: similiter verbum quod de se ipso format intellectus noster; habet esse intellectûs; non tamen habet esse naturale in eadem naturâ, quam intellectus habet; sed solum esse intentionale, & per modum similitudinis accidentalis.

127. At verò Pater æternus cum se, & suam essentiam intelligit, producit verbum, ei eandem communicando naturam, quam intelligit: quia ad rationem verbi, quod est similitudo rei intellectæ, requiritur, quod habeat vel propriè, vel impropiè, hoc est, vel naturaliter, vel intentionaliter, aut accidentaliter tantum naturam rei intellectæ: sed Verbum Divinum non potest procedere, ut referens naturam divinam, quam Pater intelligit eam per modum accidentis habendo; quia hoc Deo omnino repugnat: nec habendo naturaliter eandem speciem naturam, numero tamen distinctam, sicut contingit in Petro respectu sui patris: quia natura divina ex se est una essentialiter, & individua substantia. Ergo Verbum divinum à fortiori procedit ut referens similitudinem Patris, eadem numero gaudendo naturâ, quam Pater intelligit. Jam verò cum in quâlibet naturâ id, quod procedit habens similitudinem naturæ ejus, à quo procedit, appelletur Filius; & in Verbo divino hoc verissimè contingat, non erit operosum juxta principia, & fundamenta data concludere quare Verbum divinum sit verè & propriè Filius.

128. Suppono sextò. Ex dictis facile colligi discrimen inter illud, quod procedit per intellectum, & inter illud, quod procedit per voluntatem: nam de ratione Verbi, quod exprimit intelligentem, est, quod sit similitudo intelligentis, à quo procedit; ita ut quò perfectiùs est intelligens, eò perfectior evadat verbi illius similitudo; in hoc autem stat processio, quæ attinet ad intellectum, qualis est processio verbi interioris. Processio autem quæ fit per voluntatem, nullatenus dicit, aut petit, ut id quod procedit per voluntatem, sit similitudo amantis, aut boni amati, nec quod procedat ut amantis, aut ejus naturæ similitudo. Rationem

præbet Angelicus Doctor, opusc. 2. cap. 46. ita: *Amatio autem fit secundum quandam motionem amantis ad amatum: Amatam enim trahit ad se ipsum amantem: igitur non perficitur amatio in similitudine amati, sicut perficitur intellectio in similitudine intellecti; sed perficitur in attractione amantis ad ipsum amatum.*

129. Clariùs autem opusculo eodem, cap. 49. sic tradit Angelicus Magister: *Secundum autem quod intellectus actu intelligit, est in ipso id, quod intelligitur. Hoc igitur, quod est, intellectum esse in intelligente, procedit ex virtute intellectivâ intellectûs, & hoc est verbum ipsius, ut supra dictum est: similiter etiam id, quod amatur, est in amante, secundum quod amatur actu: quod autem aliquid actu amatur, procedit ex virtute activâ amantis, & ex bono amabili actu intellectûs. Hoc igitur quod est, amatum esse in amante, ex duobus procedit; scilicet ex principio amativo, & ex intelligibili apprehensio quod est verbum conceptum de amabili: Cum igitur in Deo se ipsum intelligente, & amante, Verbum sit Filius; is autem, cujus est Verbum, sit Pater Verbi, ut ex dictis patet; necesse est quod Spiritus Sanctus, qui pertinet ad amorem, secundum quod Deus in se ipso est ut amatum in amante, ex Patre procedat, & Filio: Unde in Symbolo dicitur: Qui ex Patre, Filioque procedit. Ita S. Thomas.*

130. Ex quibus duo inferuntur: Primum; quod in divinis id, quod procedit per intellectum, ut intellectum in intelligente, est Verbum divinum, ac proinde formaliter Deus. Secundum: quod id, quod procedit per voluntatem ut amatum in amante, sit etiam formaliter Deus, qui Spiritus Sanctus vocatur. Unde, ut infra dicam, non acquiesco Thomistarum; & aliorum Recentiorum doctrinæ dicentium, Spiritum Sanctum non procedere per voluntatem divinam formaliter ut Deum; & aliundè est querenda ratio, cur Verbum non solum sit Deus, sed etiam procedat ut Filius Dei: Spiritus verò Sanctus, cum sit per processionem formaliter Deus, & ut talis procedat, non tamen procedat ut Filius.

131. Suppono denique, ne in re adèd gravi, & perdifficili puris vocibus laboremus, aliquos quæstionis terminos esse, qui frequenti usu, & passim exaudiuntur in hæc controversiâ, & qui explanatione indigent: hujusmodi sunt: *Ex vi processionis: in similitudinem naturæ: formaliter ut Deus: materialiter, seu identicè Deus, &c.* Pro quibus nota, tam Filii, quam Spiritus Sancti processionem convenire in ratione communi divinæ processionis, & differre in notionibus particularibus, quibus specialiter constituuntur: v. g. processio Verbi, per hoc, quod est divina processio, habet specialiter & tanquam sibi propriam,

At Verbum
divinum
procedit
ut substan-
tialis simi-
litudo Pa-
tris, & e-
jusdè cum
illo naturæ

Compendium
et
Ripalda

Pater autè
se intelli-
gens, pro-
ducit ver-
bum, ei
eandem
intellectâ
communi-
cando na-
turam.

Do discrimen
inter
procedes
per intelle-
ctum, &
procedes
per volun-
tatem.

Ita S. Th.
op. 2. c.
49.

Unde in
divinis
procedis
per intel-
lectum,
est Verbum
Dei, & for-
maliter
Deus, &
procedis
per volun-
tatem est
Spiritus
&
formaliter
Deus.

Terminos
explicio
hac quæ-
stionis.

proprium, quod fit per intellectum, in quo à processione Spiritus Sancti differt: quia hæc, licet etiam sit processio divina, non est per intellectum; sed per voluntatem; hoc autem speciale, quod relucet in divinis processionibus, significamus, cum inter disputandum dicimus, Verbum Divinum v. g. ex vi suæ processionis habere aliquid, quod non habet Spiritus Sanctus; & è contra de Spiritu Sancto, &c.

132. Adverte iterum, quod terminus hic: *Ex vi suæ processionis*, potest sumi activè, & terminativè: *activè* significat illud speciale, quod relucet in processione activè sumptâ; v. g. In processione activâ Verbi divini relucet, quod ea sit generatio activa Patris: idest, quod illa sit determinata, & modificata relatione Patris. Similiter speciale, quod habet processio Spiritus Sancti activè sumpta, est, quod sit spiratio activa, idest Amor, prout modificatus relatione Spiratoris: quæ relatio constituit cum Amore in utraq; Personâ Patris, & Filii actionem unam spirandi; sicut voluntas cum eadem relatione constituit unum principium spirativum. Et eodem modo discurrendum est de processionibus terminativè sumptis: v. g. quod processio secundæ Personæ dicat essentialiter ex parte termini, terminum procedere ut verbum subsistens, & non ut Amorem subsistentem; & è contra de processione Divini Spiritus. In hoc autem sensu usurpatur, loquendo de processione passivâ, terminus ille: *Ex vi suæ processionis*.

133. Hinc facilè capies, quid significant Doctores, cum dicunt, aliquam divinam Personam materialiter habere aliquod prædicatum; non verò formaliter: vel quod licet habeat formaliter, illud tamen non habeat ex vi suæ processionis: est idem ac dicere, quod illud prædicatum, supra quod cadit, & conceditur *ly materialiter*, ei Personæ non communicatur ex vi suæ processionis; at quia hoc aliud, quod formaliter communicatur, identificatur cum illo alio, consequenter dicunt, quod talis Persona habet tale prædicatum materialiter tantum, seu identicè propter identitatem realem cum prædicato ex vi processionis communicato, v. g. Dicunt, quod Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis, non est Deus, quia non communicatur ei natura divina sed solum volitio: quia tamen cum volitione identificatur natura divina, consequenter dicunt, quod Spiritus Sanctus illam materialiter habet; & consequenter quod solum identicè evadit Deus.



Theol.

LECTIO III.

Mentem propriam triplici conclusionem produco.

134. **P**rima Conclusio. Quælibet Persona in divinis habet, quod sit formaliter Deus, ac proinde habet omnes perfectiones divinas, & absolutas, attenda solum ratione communi divinæ processionis. Explicatur Conclusio. Ex dictis constat, in divinis processionibus duo esse consideranda; scilicet & rationem divinæ processionis præcisè, & particularem rationem, quæ uni processionem competit præ aliâ. Nunc dicimus, quamlibet ex Personis procedentibus ratione præcisè divinæ processionis habere formaliter, quod sit Deus, eiq; formaliter communicari divinam naturam cum reliquis perfectionibus. Et quidem quod secundâ Trinitatis Persona hæc omnia habeat, facilè concedunt Scholastici omnes: Dubium solum vertitur circa Personam Spiritus Sancti, quod quidem in hæc conclusione venit expediendum.

135. Probatur primò autoritate Divi Thomæ sic dicentis quæst. 2. de Potentiâ, artic. 2. *Et propter hoc cum Filius procedat ut Verbum per actum intellectus divini in quantum Pater cognoscit se ipsū, & Spiritus S. per voluntatem in quantum Pater diligit Filium: sequitur quod tã Filius, quàm Spiritus S. naturaliter procedant; & ex hoc ulterius, quod sint consubstantiales, & coæquales, & coæterni Patri, & sibi ipsi. Sicubi. At Spiritus S. non procederet consubstantialis Patri, coæqualis, & coæternus, nisi ratione divinæ processionis procederet ut Deus cum eisdem perfectionibus. Ergo.*

136. Rem clariùs ostendit S. Thomas quæst. 10. de Divinis Processionibus, artic. 2. Ubi in corpore sic ait: *Unde patet: quod ex quo omnia attributa essentialia concurrunt in unam processionem Filij, non possit processionum differentia inveniri secundum rationes attributorum diversas; ita quod per unam processionem attendatur communicatio unius attributi, & per aliam communicatio alterius; cum etiam processionis terminus sit habere (cum ad hoc procedat Divina Persona, ut habeat, quod accipit procedendo.) Processiones autem secundum terminos distinguantur: necesse est, ut sicut habens distinguitur in divinis; ita distinguatur & procedens: Habens autem non distinguitur in divinis ab habente per hoc, quod hic habeat hæc attributa; ille verò alia; sed per hoc, quod eadem unus habeat ab alio: Sic ergo procedens ab alio procedente distinguitur; non quia unus hæc procedendo accipiat; alius illa; sed quia unus illorum ab alio accipit. Ita Magister Angelicus.*

A a

Compendium
et
Ripalda

licus. Ex quibus sic discuro. Unus procedens, & alius procedens solum potest intelligi in Deo de Filio, & Spiritu Sancto quia hi sunt Personae procedentes, ut est fide certum. Sed juxta Sanctum Thomam unus procedens non distinguitur ab alio per hoc, quod unus procedendo habeat hanc; ille vero alia, Ergo quantum accipit Filius ratione divina processionis, tantum accipit Spiritus Sanctus ratione suae divinae processionis. Sed Filius accipit naturam, & reliquas perfectiones divinas. Ergo idem accipit Spiritus Sanctus. Relinquitur ergo quod tota diversitas sit desumenda ex peculiari modo, & ratione, quae ita relucet in una, & non relucet eadem in alia.

2. Quia Spiritus s. est Deus formaliter de Deo

137. Probatur secundò à ratione. Quia Spiritus Sanctus est Deus formaliter de Deo. Sed Deus formaliter de Deo, est Deus formaliter per processionem. Ergo Spiritus Sanctus ratione divinae processionis est Deus formaliter, ac proinde ei communicatur divina natura cum omnibus suis attributis, & processionibus. Major constat. Nam in Divinis praeter Patrem reliquae Personae sunt Deus de Deo. Minor patet. Quia Deus de Deo formaliter dicit processionem divinam, nec aliud importat, vel significat particula de apud Theologos.

Non valet dicere spiritum S. esse Deum de Deo materialiter.

138. Nec valet, si dicas, Spiritum Sanctum esse Deum de Deo materialiter, non vero formaliter: quia Spiritus Sanctus non solum identice; sed etiam formaliter procedit. Sed omnis terminus ad hoc procedit, ut habeat quod accipit procedendo. Ergo Spiritus Sanctus cum habeat & accipiat esse Deum de Deo formaliter procedendo, erit Deus formaliter ratione divinae processionis praecise. Roboratur praerata ratio. Nam de ratione cujusvis processionis creatae, medià quae agens producit, est, quod ejus terminus accipiat esse, & essentiam, sive naturam aliquam creatam, ita, ut praecise intellectà actione creatà, necesse sit consequenter, ut intelligatur ejus terminus habens esse, & essentiam creatam. Ergo de ratione actionis, sive processionis divinae est, quod ejus terminus habeat esse, & essentiam divinam. Antecedens constat inductione omnium. Non enim assignabitur terminus per actionem aliquam creatam productus, quin talis terminus habeat essentiam creatam distinctam ab agente, à quo procedit. Consequentia tenet à paritate: nam sicut de ratione termini creati est, quod aliquam habeat essentiam à suo principio distinctam: sic imperfectione sublatà, de ratione termini divini est quod habeat ratione processionis divinae naturam & essentiam, non quidem distinctam ab essentià & naturà, quae est in suo principio quod, aut personam producente.

139. Probatur ulterius conclusio. Primò si Spiritus Sanctus non procederet à Patre & Filio, non esset Persona ab eis distincta. Ergo Spiritus Sanctus est Persona distincta: quia ab illis procedit, ac proinde ratione divinae processionis. Tunc sic. Sed Persona divina distincta dicit formaliter naturam divinam cum reliquis perfectionibus, & consequenter esse Deum. Ergo Spiritus S. ratione divinae processionis est formaliter Deus. Antecedens & prima consequentia constant. Quia seculis processionibus in Deo, non est dari, imò nec intelligi distinctio Personarum. Secundò quia non ita bene salvatur aequalitas formalis divinarum processionum, nec personarum procedentium: nam si unà divinam processionem communicatur natura divina; altera vero formaliter non communicatur: certè divinae processionis formaliter non erunt aequales, perfectiorq; erit processio, in qua divina communicatur natura, ac est illa, in qua non communicatur. Similiter si una divinarum Personarum formaliter evaderet, & esset Deus, alia vero non: absque dubio erit illa ista perfectior: quod quidem cum veritate, & ratione pugnat. Ergo cum tota ratio perfectionis in divina processionem ortum habeat, non ex eo quod processio sit; cum hoc praedicatum etiam competat creaturis, nec eo quod processio sit per intellectum, vel voluntatem; cum similes processionis etiam in creatis concedamus: sed solum ex eo, quod processio sit divina, ratioque praedicati divini aequaliter imbibatur in divina processionem, planè inferitur, quod quidquid communicatur in unà divina processionem, vi divinae processionis aequaliter, ac in alia, communicetur; ac proinde totam questionem devolvi, quare cum uterque procedens ratione divinae processionis sit formaliter Deus de Deo, consubstantialis Patri, coaeternus; coequalis; & utraque Persona omnibus gaudeat perfectionibus absolutis; quare una procedat ut Filius; alia vero non? quare processio unius sit generatio, & non sit processio alterius? Hoc opus; hic labor est: Circa quem:

Uterius quia cum Spiritus S. sit persona distincta dicit formaliter naturam divinam.

Dico 2. Ideo 2. persona procedit ut Filius, quia procedit ut Verbum, quod generans sit similitudinem naturae.

140. Sit Secunda conclusio. Ideo secunda Persona procedit ut Filius, ejusque processio est verè generatio: quia secunda Persona ratione suae peculiaris processionis procedit ut Verbum gerens similitudinem divinae naturae, quam suam intellectione intelligit Pater. Hanc conclusionem edocent Almus Augustinus 6. & 7. de Trinitate, 7. Sanctus Ambrosius lib. 4. de Fide. Sanctus Basilius lib. 5. contra Eunomium; Sanctus Thomas quaest. 2. de Potentià, & 4. contra Gentes, & in aliis locis: Quibus ex nostris subscribunt planè Eximius Doctor Suarez lib. 11. de Trinitate, cap. 5. numer. 16. & cap. 6. numer. 14. Et cum eo major

major nostrorum Recentiorum pars; est- que inter Thomistas communior sententia.

Explicatur Conclusio.

141. Explicatur Conclusio. Clarè constat ex dictis, quod sicut secunda Trinitatis Persona procedit tamquam Deus de Deo; sic, & æqualiter tertia Persona; ac proinde divinæ Personæ non differunt per hoc, quod est procedere; quia hoc est commune utrique Personæ: Nunc verò specialem damus rationem, & assignamus discrimen, quare secunda Persona procedat non solum ut Deus, quod etiam Spiritui Sancto convenit formaliter; sed etiam ut Filius; quod nequit tertiæ Personæ competere: Dicimusque, rationem immediatam esse, quod secunda Persona non solum procedit processionem divinâ utcumque; sed per modum verbi perfectissimi: Cum igitur de ratione verbi sit, quod procedat ut expressa similitudo illius, quod intellectus intelligit: Et Pater Æternus, intelligendo se, & suam essentiam, suum Verbum producat; sit, quod tale Verbum procedat ut perfectissima similitudo naturæ divinæ, quam Pater intelligit: Hæc autem perfectissima similitudo stare nequit, nisi Verbum eandem naturam substantialiter habeat, ad distinctionem Verbi creati juxta dicta supra.

Probatur r. ex S. PP. Augustino, & Ambrosio.

142. Probatur Conclusio primò auctoritate Sanctorum Patrum. Nam Divus Augustinus ubi supra ait: *Eo Verbum, quò Filius; & eò Filius, quò Verbum.* Ergo ex Sancto Augustino ratio Verbi est ipsissima ratio, cur secunda Persona sit Filius. Sanctus Ambrosius inquit de Filio, ideo dici genitor, & natum; quia Verbum est. Sanctus Basilius ubi supra ait: *Pater Filij genitor, & mens Verbi, Pater ut sapiens, qui sapientiam genuit.* Accedit Angelicus Doctor, rem Scholastico rigore differens quæst. citatâ de Potentiâ, artic. 3. ad 7. ubi hæc habet: *Et ideo cum Filius procedat per modum Verbi, ex ipsâ ratione suâ processionis habet, ut procedat in similem speciem generantis; & sic quod sit Filius, & ejus processio generatio dicatur.* Ita ibi. Et lib. 4. contra gentes, cap. 11. ait: *Manifestum est autem, quod Deus se ipsum naturaliter intelligit, sicut & naturaliter est; suum enim intelligere est suum esse, ut in primo probatum est: Verbum igitur Dei se ipsum naturaliter intelligentis ab ipso procedit; & cum Verbum Dei sit ejusdem nature cum Deo dicente, & sit similitudo ipsius, sequitur, quod hic naturalis processus sit in similitudinem ejus, à quo est processio, cum identitate nature. Hæc est autem veræ generationis ratio in viventibus, quod id, quod generatur, à generante procedat ut similitudo ipsius, & ejusdem nature cum ipso. Est ergo Verbum Dei geni-*
Theol.

tum verè à Deo dicente, & ejus processio generatio, vel nativitas dici potest. Ita Sanctus Doctor.

143. Probatur secundò à ratione Conclusio. Veræ generationis ratio in rebus viventibus stat in eo, quod id, quod generatur, à generante procedat ut similitudo ejus, & ejusdem naturæ cum ipso. At ex eo, quod secunda Persona procedat à primâ ut Verbum ipsius, se ipsum, suamque naturam intelligentis; id, quod procedit, verè procedit ut similitudo ipsius, & ejusdem naturæ cum primâ Personâ. Ergo tota ratio, cur secunda Persona procedat ut Filius, ejusque processio sit generatio, stat in eo, quod secunda Persona procedat ut Verbum, vel quod ejus processio sit processio Verbi. Major constat ex Divi Thomæ doctrinâ. Minor probatur. Ex eo, quod secunda Persona procedat ut Verbum exprimens naturam divinam, quam primâ Persona intelligit, procedit ut similitudo, vel in similitudinem naturæ ipsius intelligentis. Sed non procedit in similitudinem naturæ, tamquam quid accidentaliter inhærens; cum accidens Deo repugnet. Ergo procedit ut aliquid substantialiter subsistens. At non ut subsistens in alienâ naturâ. Ergo de primo ad ultimum efficaciter probatur, quod secunda Persona peculiari ratione suâ processionis per modum Verbi procedit ut aliquid substantialiter subsistens in similitudinem ejusdem naturæ divinæ.

2. Quia 2. persona prout à x. procedes ut Verbū ipsius, verè procedit ut ejusdem similitudo, & naturæ.

144. Jam verò quod id sufficiat ad rigorosam rationem Filii, & generationis, sic probamus. Filius materialis petit ratione suâ processionis materialis accipere speciem, & naturam generantis. Ergo Filius spiritualiter genitus petit ratione suâ processionis spiritualis, quæ perfectissima actio debet esse, accipere naturam spiritualiter generantis. Antecedens constat. Consequentia est legitima. Tunc sic. Sed inter processionem naturæ purè spiritualis, & intellectivæ sola processio verbi est, quæ terminus accipit speciem, aut naturam ejus, à quo procedit, cum se, suamque naturam intelligit; & hoc per modum similitudinis. Ergo eo ipso, quod secunda Persona divina procedat à primâ, se, suamque naturam intelligente, ut Verbum illius subsistens, accipiet naturam divinam ratione peculiari suâ processionis per modum similitudinis. Minor subsumpta patet. Tum quia de ratione verbi est, quod sit similitudo ejus, quod intelligitur. Tum quia Verbum accipit esse simile ab eo, à quo procedit. Tum quia Verbum divinum cum non evadat terminus purè accidentaliter; sed substantialiter similis;

Id igitur sufficit ad rigorosâ Filii rationem.

Opus est, ut accipiat eandem naturam, quam prima Persona divina intelligit; aliter evaderet tam imperfectum, ac Verbum creatum procedit. Ex quibus omnibus evincitur planè, nihil posse desiderari ad hoc, ut secunda Persona, prout procedit à primâ spiritualiter per modum verbi, sit verè, & propriè Filius spiritualis, ejusque processio generatio. Hoc enim, quod præstat generans materiale per suam materialem generationem, præstat, & quidem perfectissimè, generans spirituale perfectissimum per generationem immaterialem, & spirituaalem. Constat ergo, quod secunda Persona vi processionis evadit perfectissimè in similitudinem ejusdem naturæ; ac proinde verè, & propriè Filium.

Dico 3. ideo Spiritus Sanctus non est Filius, quia ut procedat per voluntatem, non procedit in similitudinem naturæ.

Idè non est Spiritum Sanctum ratione præcisâ divinæ processionis procedere formaliter ut Deum; ac procedere ut Filium.

145. Sic tertia Conclusio. Ideò Spiritus Sanctus non est Filius, nec ejus processio generatio; quia, cum procedat per voluntatem, ex peculiari ratione suæ processionis non procedit in similitudinem. Ita expressè Divus Thomas ubi supra quæst. 2. de Potentiâ, & 4. contra gentes, cap. 23. & 1. parte, quæst. 27. artic. 2. & 4. & in primo distinct. 13. Angelico Doctore subscribunt communiter Doctores pro sextâ sententiâ citati.

146. Explicatur Conclusio. Ex dictis in prima Conclusionè constat, Spiritum Sanctum ratione præcisâ divinæ processionis procedere formaliter ut Deum, eique communicari naturam divinam cum reliquis aliis perfectionibus absolutis, quæ communiter Deo tribuuntur: At cum non sit idem, processionem esse divinam, ac esse generationem; nec unam Personam procedere ut Deum de Deo, ac procedere ut Filium à Patre; sit indè, quod Spiritus Sanctus cum sit formaliter Deus per divinam processionem; non tamen procedat ut Filius. Rationem damus. Quia Spiritus Sanctus ratione suæ processionis peculiaris procedit per voluntatem ut Amor; de cujus ratione non est, quod sit similitudo amari, nec natura illius, à quo procedit: Quæ similitudo in naturâ ex parte originis, aut processionis omninò desideratur ad hoc, ut aliqua processio sit generatio, ejusque terminus sit verè, & propriè Filius. His positis.

Ita S. Thomas q. 2. de Potentiâ, art. 3. ex cuius testimonio expressè probatur. 147. Probatum Conclusio autoritate Angelici Doctore quæst. citatâ de Potentiâ, artic. 3. ubi ait: *Et idè cum Filius procedat per modum verbi, ex ipsâ ratione suâ processionis habet, ut procedat in similem speciem generantis; & sic quod ejus processio generatio dicatur: Non autem Spiritus Sanctus hoc habet ratione suâ processionis; sed magis ex proprietate divinæ naturæ: Quia in Deo*

non potest esse aliquid, quod non sit Deus; & sic ipse Amor divinus Deus est, in quantum quidem divinus, non in quantum Amor. Ita ibi. Tunc sic. At ratio specialis in processione Spiritus Sancti consistit in eo, quod procedat ut Amor. Ergo si in ratione Amoris non habet, quod sit in similitudinem naturæ divinæ; tota ratio positiva, cur non procedat ut Filius, Spiritus Sanctus, erit, quia procedit ut Amor, & per voluntatem, quæ assimilativa non est; licet ratio negativa sit, quia non procedit ut Verbum.

148. Idem expressè fusiori calamo declarat S. Doctor 4. contra gentes, cap. 19. ita: *Neesse est igitur, quod Amor, quo Deus est in voluntate divinâ, ut amatum in amante, & à Verbo Dei, & ab eo, cujus est Verbum, procedat; cum autem ostensum sit, quod amatum in amante non est secundum similitudinem speciei, sicut intellectum in intelligente: Omne autem, quod procedit ab altero per modum geniti, procedit secundum similitudinem speciei à generante; relinquatur, quod processus ad hoc, quod sit in voluntate, sicut amatum in amante, non sit per modum generationis, ut supra ostensum est. Ita ibi. Ex quibus constat, quod dum Pater se intelligit, procedit Deus ut intellectum in intelligente; quod est idem, ac procedere per modum verbi, in quo est natura divina intellecta. Similiter dum Pater, & Filius se amant, procedit etiam Deus, ut amatum in amante. At cum procedere Deum ut intellectum in intelligente, sit idem, ac per modum verbi procedere; & de ratione formalissimâ verbi sit procedere in similitudinem illius, à quo procedit. Deinde de ratione procedentis ut amatum in amante, cum non sit procedere in similitudinem amantis, vel voliti; eò quod amor, ut talis, non est similitudo rei volitæ; sicut Verbum ut tale est similitudo rei intellectæ; idè prima; Filii scilicet, processio, dicitur generatio; non verò secunda.*

149. Probatum secundò ratione. Si aliqua esset ratio, cur processio Spiritus Sancti deberet esse generatio, & illius terminus Filius; maxime, quia formaliter procedit ut Deus, eique communicatur natura divina cum aliis perfectionibus. Sed ratio ista solum probat, terminum divinæ processionis esse formaliter Deum; non verò esse Filium, quia ad hoc requiritur, quod ratione speciali processionis habeat esse Deum in similitudinem naturæ divinæ; quod quidem non habet processio Spiritus Sancti; quia ratio specialis istius est, quod procedat ut Amor: Amor autem non habet, quod sit similitudo naturæ

Ita in 4. contra gentes, cap. 19.

res. cap. 29.

29.

2. Quia

quod Spi-

ritus San-

ctus pro-

cedat for-

maliter ut

Deus, eiq;

natura di-

vinâ co-

municat-

ur; non est

sufficiens

ratio, ut

fit Filius

naturæ amanti, aut boni amati. Ergo Minor probatur. Quia ad hoc, ut unum suppositum sit, & dicatur Filius alterius, non sufficit, quod ab eo procedat accipiendo speciem, & naturam illius; sed ultra requiritur, quod ratio procedendi, seu origo illius sit, quæ ostendat similitudinem naturæ inter illud, quod procedit, & suppositum, à quo procedit. Ergo licet Spiritus Sanctus procedat ratione quasi genericâ processionis divinæ formaliter ut Deus; cum hoc non habeat ratione propriâ, & speciali suæ processionis, & quæ solum Spiritui Sancto competit, non est, unde sit Filius, ejusque processio sit generatio.

Id patet ex S. Thomâ lib. 4. cõtra gentes.

150. Antecedens probat S. Thomas lib. 4. contra gentes, his verbis: *Si res aliqua naturam alterius ab eo acciperet, non per genituram; sed per alium quemcumque modum, ratione filiationis careret: Ut puta, si aliquis homo virtute sibi divinitus concessâ, hominem faceret ex aliquâ sui corporis parte, vel etiam exteriori modo; sicut facit artificia-za; productus homo producentis Filius non diceretur: Quia non procederet ab eo ut natus. Ita ibi. Tunc sic. Ergo ad hoc, ut unum suppositum Filius alterius sit; non sufficit, quod utcumque producat; sed ultra requiritur, quod modus, quo procedit, sit per generationem; id est, quod ratio peculiaris talis processionis sit in similitudinem naturæ. Ergo quamvis Spiritus Sanctus ratione processionis divinæ præcisè procedat ut Deus; cum tamen id non habeat ratione speciali suæ processionis, quæ per modum similitudinis naturæ non est; planè colligitur, quod non sit ullo modo Filius, nec ejus processio generatio.*

LECTIO IV.

Adstruuntur, & destruuntur opposita contra primam Conclusionem.

Quia utraque divina Persona procedens formaliter ut Deus, procederet formaliter ut Filius.

151. **O**pponitur primò. Si utraque divina Persona ratione divinæ processionis præcisè procederet formaliter ut Deus, utraque procederet formaliter ut Filius. Hoc autem non. Ergo nec primum. Major probatur. Utraque procederet in similitudinem naturæ; cum Deus producat, & Deus procedens sint ejusdem naturæ. Sed quod procedit ab alio in similitudinem naturæ, dummodò processio sit viventis à vivente, procedit ut ejus Filius. Ergo utraque Persona divina procedens, procederet ut Filius.

Theol.

152. Respondeo negando majorem. Ad probationem nego etiam majorem. Quia licet ratione communi divinæ processionis utraque Persona procedat ut Deus, & utraque accipiat naturam divinam; ratione tamen peculiari, & differentiali processionis divinæ utraque nec procedit ut Deus, nec in similitudinem naturæ, seu ut expressa similitudo producentis. Res facillè illustratur. In qualibet igitur processione divina duo veniunt consideranda: Primum, ratio communis processionis divinæ, cui necessariò responderet terminus divinus; cum præcisione tamen, an terminus iste sit verbum subsistens, vel an sit Amor subsistens, aut Personalis: Quia sicut processio divina in communi non determinat peculiarem modum divinæ processionis, sic, & eadem ratione non determinat terminum peculiarem; sed solum denotat, quod sicut processio est divina, sive Dei; sic ejus terminus procedens sit divinus, sive Deus; in quo solum explicatur identitas naturæ procedentis cum producente; quod quidem non sufficit ad hoc, ut terminus, qui dicitur procedens, sit Filius; nam sicut subsistendi consequentia non valet: *Est Persona divina procedens: ergo est Filius:* sic non valet: *Est Deus procedens: ergo est Filius:* Quia, ut ex dictis, & ex dicendis clarè constabit, ad rationem Filii plus petitur, quàm quod sit Deus procedens. Et quidem si utamur exemplo Divi Thomæ, res videtur perspicua; non enim valet: *Hic homo est productus ab illo homine: Ergo hic homo est Filius illius.* Ratio autem Divi Thomæ est. Quia si aliquis homo virtute divinitus sibi concessâ, ex aliquâ sui corporis parte, vel alio modo hominem produceret, planè hic homo procederet ab illo alio homine; & tamen patet, quod non procederet, ut ejus Filius. Ergo.

Nego assumptum. Quia licet ratione communi processionis utraque procedat ut Deus; non tamen ratione particulari.

153. Alterum verò, quod in qualibet processione divinâ consideratur, est ratio illa peculiaris, & quasi specifica, quæ determinat ad hoc, ut processio divina sit per intellectum, seu per modum verbi; vel processio divina per voluntatem, seu per modum amoris: Ad hanc igitur rationem quasi specificam respicimus, ut cognoscamus, an terminus divinus sit Filius, vel non? Si enim ratione peculiari processionis habeat terminus, quod sit similis in naturâ producenti, sive (quod idem est) expressa similitudo producentis; tunc persona, quæ procedit, est Filius; & illa, à quâ procedit, est Pater; & ita contingit in secundâ Personâ, quæ cum ratione specificâ suæ processionis procedat ut Verbum, procedit in similitudinem naturæ, vel ut similitudo producentis; si

Itè consideratur ratio peculiaris, & quasi specifica.

A a 3

verò

verò ratione speciali, & differentiâ suâ processionis terminus non procedat ut similitudo producentis, quamvis aliunde habeat eandem naturam sive specificam, sive numericam cum producente, non procedit ut Filius; ut dictum est de homine, qui per modum naturalem non procederet ab alio homine; hic tamen licet haberet eandem specie naturam cum producente, non esset ejus Filius.

Bene stat. 154. **Opponitur secundò ex Godoy.** Non enim stat, quod ratio communis perdat pro formali termino naturam sub conceptu naturæ, & quod ratio contrahens non inspiciat pro termino naturam. Ergo si processio Spiritûs Sancti ex conceptu communi processionis divinæ habet terminari ad naturam sub conceptu naturæ, id etiam sub differentiâ conceptu obtinebit; & consequenter erit generatio. Distinguo antecedens: Quod ratio contrahens non inspiciat naturam pro termino ratione sui, nego; ratione conceptûs communis, qui ei conjungitur, & per eam quasi determinatur, concedo antecedens, & nego consequentiam. Quod quidem multis potest illustrari. Non enim stat, quod animal ex sua ratione communi sit sensibile, & quod species animalis, homo v. g. non sit sensibilis; stat tamen, & bene, quod homo non sit sensibilis ratione differentiæ constituentis speciem; sed solum ratione animalis determinati per eam differentiam. Unde quamvis homo, qui est rationalis, sit formaliter sensibilis; non tamen ut rationalis: quia non ab eodem principio, saltem formaliter, & explicitè habet homo, quod sit rationalis, & quod sit sensibilis. Ad hunc ergò modum dicimus, quod licet Spiritus Sanctus sit Deus formaliter procedens; hoc tamen non habet ratione differentiâ suâ processionis, quæ est per modum Amoris, qui ex se nequit esse formaliter natura, nec naturæ amata similitudo; sicut habet Verbum ex eo, quod sit Verbum. Ex quo fit, quod Spiritus Sanctus solum sit Deus procedens ratione processionis divinæ, quæ determinatur per differentiam Amoris; non verò per ipsum Amorem; nam per istum solum habet, quod Deus procedens sit Spiritus, & tamquam amatum in amante.

Utraque processio 155. **Opponitur tertio ex eodem Godoy.** Quia si utraque processio ex similitudine in natura; id est, idem est idem tatem nõ aut quod terminus sit expressa si similitudo. 155. **Opponitur tertio ex eodem Godoy.** Quia si utraque processio ex conceptu communi habet pro termino similitudinem cum principio in naturâ: Ergo utraque ex conceptu communi est generatio; & consequenter neutra sub differentiâ habere poterit rationem oppositam. Distinguo antecedens: Similitudinem cum principio in naturâ; id est, identitatem cum illo in naturâ, concedo; si

similitudinem cum principio in naturâ; id est, quod terminus sit expressa similitudo naturæ producentis, nego antecedens. Quia hoc non habet utraque processio ratione divinæ processionis præcisè; sed sola processio secundæ Personæ, quæ peculiari ratione habet, ut sit in similitudinem naturæ, seu expressa similitudo producentis.

156. **Opponitur quartò. De ratione geniti, & Filii est, quod sit similis generanti sub conceptu naturæ.** At secunda Persona licet procedat ut Verbum subsistens per intellectum, non idem procedit ut simile in naturâ sub conceptu naturæ. Ergo secunda Persona non est magis Filius, quam tertia. Minor probatur. Quia intellectus ex proprio munere solum assimilatur terminum cum objecto, seu cum specie impressâ, quæ unitur vice objecti cum principio. Sed ratio objecti, vel speciei virtualiter saltem, vel formaliter distinguitur à naturâ divinâ, sub conceptu naturæ. Ergo ex eo, quod Verbum procedat per intellectum, non idem est simile producenti in naturâ sub conceptu naturæ. Ergo si hoc non habet ratione communi divinæ processionis, nullatenus habebit ratione speciali. Hoc argumentum magis ad secundam Conclusionem (de quâ postea) quam ad primam spectare videtur.

157. **Respondeo tamen primò potissimum dubium in hac controversiâ esse, quare secunda Persona sit realiter Filius; non verò tertia: Jam verò cum certò certius sit, in Deo, realiter loquendo, hæc omnia; scilicet intellectum, intelligens, & id, quod intelligitur; speciem intelligibilem, & ipsum intelligere; esse omnino unum, & idem; argumentum nihil videtur convincere; si enim jam admittitur, quod Verbum ratione peculiari suâ processionis evadit realiter simile objecto divino, seu speciei intelligibili; cum hæc reverâ sint natura divina, consequenter ex sua propria ratione evadit simile realiter producenti in naturâ; & sic evincitur, quare secunda Persona sit Filius realiter, & Spiritus Sanctus non sit realiter Filius. Scio tamen, esse plures Doctores cum ex nostris, tum ex Thomistis, qui vim faciunt in eo, quod genitum debeat esse simile in naturâ sub conceptu naturæ: Quod judico, non esse ita necessarium, ac putant; quia cum Filius naturalis, sive divinus, sive creatus, tales sint independentè à nostris conceptibus similitudo omnino requisita ad generationem, ex nostris conceptibus non est colligenda. Quia tamen hic modus disputandi, licet non ita necessarius, inconveniens non est, juxta riq̃ue potest ad exercendum ingenii acumen;**

Opponitur. Quia licet Persona procedat ut Verbum per intellectum, non idem procedit ut simile in naturâ.

Respondeo. deo i. argumentum nihil videtur convincere.

Compendium
et
Ripalda

men; ideo, ut his Doctõribus morem geram,

158. Potest responderi secundò quod dato; & nunquam concessõ, quod ratio speciei intelligibilis distingueretur virtualiter à naturà divinà, adhuc divinum Verbum ratione suæ processõnis evaderet simile Patri producenti in naturà sub conceptu naturæ. Ratio est. Quia cum de ratione verbi sit procedere ut similitudo expressa illius, quod ab intellectu cognoscitur; & Pater Æternus in quacumque sententiã suã cognitione intelligat naturam suam divinam ut talem, à fortiori debet ejus procedere Verbum ut simile Patri in naturà sub conceptu naturæ. Jam verò cum in divinis nulla deret similitudo ad intrã accidentalis, aut purè intentionalis; ut contingit in creaturis; constat, quod Verbum divinum procedat ut similitudo naturalis, & substantialis; non autem in alienã naturã. Ergo in eadem: Quod sufficientissimum est, atque omninò requiritur ad perfectam, & veram rationem, seu conceptum Filii in divinis.

LECTIO V.

Solvuntur opposita contra secundam Conclusionem.

1. Quia terminus procedens, ab intellectu, solum perit assimilari obiecto in esse intelligibili, nõ in entitativo.

159. **O**pponitur quintò. De ratione Filii est assimilari producenti in esse naturali, & entitativo. At divinum Verbum hoc nequit habere ex eo, quod ut tale procedat per intellectum. Ergo ex hoc non potest habere rationem Filii. Major constat. Minor verò probatur. Quia terminus procedens ab intellectu, solum perit assimilari obiecto in esse intelligibili, & intentionali; non verò in esse entitativo, & reali: Aliàs intellectus intelligendo lapidem, fieret in esse entitativo lapis. Ergo Verbum divinum ex eo, quod procedat per intellectum, non habet assimilari producenti in naturã sub modo essendi naturali. Concessã majori, nego minorem. Ad probationem distingo antecedens: Terminus procedens ab intellectu creato, concedo: Terminus procedens ab intellectu divino, nego antecedens.

Id verum est de termino procedenti ab intellectu, creato; nõ autẽ ab intellectu.

160. Ratio est. Tum quia intellectus creatus, cum ex indigentia producat Verbum, solum ei assimilatur in esse intentionali: Sectus autem intellectus divinus, qui non ex indigentia; sed ex fecunditate Verbum producat. Tum etiam quia intellectus creatus ob sui limitationem, &

imperfectiõnem non potest communicare suo termino, seu verbo esse proprium suæ naturæ; sed solum dat ei quoddam esse accidentale, & inhærens, quod est quædam accidentalis similitudo; ac proinde terminus intellectus creati non est similitudo naturalis illius, à quo procedit; cum non participet ejus naturam in esse naturali; sed solum in esse accidentali: Quod quidem esse purè intentionale dicitur; non enim est idem, quod Verbum lapidis sit similitudo accidentalis ipsius lapidis, ac tale verbum habere propriam naturam lapidis; similiter non est idem, quod intellectus creatus, cum se intelligit, verbum producat, quod sit similitudo accidentalis intellectus creati; ac tale verbum habere naturam propriam intellectus creati. At verò intellectus divinus, cum sit perfectissimè assimilativus, quando Pater se, suamque naturam intelligit; cum non possit formare verbum, quod sit similitudo accidentalis ex eo, quod omne accidens ad intrã repugnet Deo; nec verbum, quod sit similitudo naturalis, & substantialis in aliã naturã distinctã, ut contingit in generante creato, deducitur, quod solum producat verbum, ei communicando esse proprium suæ naturæ; & tunc est perfectissima similitudo. Jam verò cum omne, quod procedit ab alio, ut Deo perfectissimè simile, & participando eandem naturam substantialem, habeat veram, & propriissimam rationem Filii, relinquitur planè, quod Verbum divinum, quia tale est, sit perfectissimè Filii.

161. Opponitur sextò. Ex eo, quod divinum Verbum per intellectum procedat, illi communicatur divina intellectio. Sed intellectio non est natura divina; constitutivè, & formaliter loquendo; sed solum realiter, & identicè. Ergo ex eo, quod per intellectum procedat, non rectè probatur, illi communicari divinam naturam formaliter ex vi suæ processõnis; sed solum identicè; quod ad rationem Filii non sufficit. Major probatur primò. Quia, ut constat ex S. Augustino, Verbum ratione speciali suæ processõnis est sapientia genita. Ergo ex vi suæ processõnis communicatur illi sapientia. Secundò. Quia ex vi suæ processõnis communicatur formaliter verbo illud, quod se habet ex parte intellectus prout intelligentis. At ex parte intellectus Patris prout intelligentis ingreditur intellectio. Ergo hæc formaliter ratione suæ processõnis, communicatur verbo à producente. Tertio. Nam Pater sub eã ratione est generans, quã est dicens; aliàs essent plures, quàm quatuor relationes in divinis. Sed verbo prout terminanti dictionem, per se primò, & for-

2. Quia verbo per intellectum procedenti communicatur divina intellectio; hæc autẽ non est formaliter natura divina.

& formaliter communicatur divina intellectio. Ergo etiā prout termino generationis. Minor probatur. Pater ut dicens, & loquens exprimit formaliter mentem. Ast non illam exprimit prout in actu primo. Ergo prout in actu secundo, & consequenter actualem intellectioem. Prima solutio est Patris Suarez, cui subscribunt plures cum ex nostris, tum ex Thomistis cum Magistro Goneto. Afferunt igitur, ultimum naturæ divinæ constitutum stare formaliter in actuali divinā intellectuione: juxta quem modum negando minorem, omnino corrumpit argumentum: quia ex eo putant, verbo communicari formaliter naturam, quia ratione suæ processionis communicatur intellectio, quæ constitutive est ipsa divina natura.

Verum illis non est multū fidendum

162. Huic tamen solutioni, licet formalis videatur, non est fidendum. Quia quamvis in Deo eadem simplicissima, & infinita entitas sit, quæ dicitur intellectus, intellectio, volitio, natura, &c. prout de tali entitate diversos efformamus conceptus, sive prout illam inadæquatè in diversis conceptibus cognoscimus, juxta dicta supra: probabilius tamen est, conceptum intellectioem divinæ non esse conceptum naturæ, id est divinam entitatem, dum cognoscimus sub conceptu intellectioem non concipi à nobis ut naturam: Tum quia conceptus intellectioem est conceptus comparationis: conceptus autem comparationis non est conceptus naturæ, quin potius oritur à naturā, mediante potentiā. Tum quia non est de ratione Verbi, quod ei communicetur intellectio: nam ut constat ex dictis, Verbum creatum non est intellectio. Tum denique quia hæc celebris controversia refringt non debet ad eam opinionem; an scilicet natura divina consistat in actuali intellectuione, necne.

Displicet solutio P. Granados

163. Secunda aliorum solutio est cum P. Granados hic tract. 2. disp. 5. iect. 5. afferente, quod ut Verbum sit Filius, sufficit, ei communicari ex vi suæ processionis intellectioem divinam, quæ explicitè est natura divina in esse representativo; & implicitè, seu identicè in esse naturali: ac si diceret; licet intellectio ut talis non sit explicitè natura divina, est tamen explicita representatio divinæ naturæ, quod sufficit, ut Verbum sit Filius. Displicet etiam hæc solutio. Quia non est de ratione intellectus præcisè, ut suo Verbo intellectuione communicet: Nam, ut supra vidimus cum Divo Thomā, intellectus creatus non format Verbum, ut per ipsum formaliter intelligat; sed ut medium, vel instrumentum, in quo rem intelligat; quemadmodum ex necessitate me videndi, formo speciem intelligibilem in speculo; non tanquam id, quo me formaliter videam: sed tanquam medium, in quo me videam: Tum quia Filio divino debet com-

petere formaliter, quod requiritur ad generationem viventium; sed ad talem generationem petitur similitudo in naturā secundum conceptum naturæ. Ergo ad rationem Filii ex vi suæ processionis requiritur, quod communicetur natura, non implicitè, & identicè, sed explicitè secundum conceptum naturæ. Tum quia ad rationem Filii sufficiens non est similitudo in esse representativo; sed requiritur similitudo naturalis in naturā sub conceptu naturæ. Ergo ut Verbum sit & dicatur Filius, non sufficit, quod ei conveniat similitudo in esse representativo, &c.

164. Aliter respondet Illustrissimus Godoy disput. 74. num. 8c. scilicet quod est secundæ Personæ, quæ est Verbum, non communicaretur divina natura; sed tantum intellectio, dummodo ei communicetur ut Filio natura divina, salvatur, quidquid ad generationem requiritur. Fundatur ejus solutio in eo, quod asserit, rationem Filii, & rationem Verbi, licet quantum ad id, quod dicunt in recto; scilicet generationem, nulla tenus differant; differretamen quantum ad id, quod important de connotato, & in obliquo, quod est absolutum: quia Filius dicit seu importat in obliquo naturam sub conceptu naturæ: Verbum autem importat naturam, non sub conceptu radicis attributorum, qualiter obtinet sub conceptu naturæ; sed sub conceptu representantis divinam essentiam, & alia. Ast doctor iste in hæc solutione videtur planè recedere tum à Sancto Augustino, tum à suāmet conclusione. Ostendo primum. Quia Magnus Augustinus lib. 10. de Trinitate cap. 2. ut expenderet rationem Filii in secundā Personā Trinitatis, dixit: *Ed Filius, quo Verbum, & ed Verbum, quod Filius.* Ergo ex Augustino per idem constituitur in ratione Verbi, at in ratione Filii. Nec satisfacit explicans Augustinus de Verbo, & Filio, pro eo, quod important in recto tantum; scilicet quantum ad relationem. Quia ratio Filii, quam intendit declarare Sanctus Doctor, non sumitur à solā relatione; aliās verba Sancti Augustini præstarent hunc sensum: nimirum, *Secunda Persona ed Filius, quia refertur ad primam; & ed Verbum, quia refertur etiam ad primam personā:* qui lenius ad Sancti Doctoris intentum vacuus, omnino & prorsus ineptus, ac inutilis esset.

165. Ostendo secundum. Quia Conclusio Illustrissimi Godoy in hoc puncto num. 56. est: Ideo processio verbi est generatio, quia est per intellectum, qui ex proprio conceptu assimilativus est. Sed ista Conclusio non cohæret solutioni datæ. Ergo. Probo minorem. Intellectus non alio modo est assimilativus, nisi quatenus ab ipso procedit Verbum, rei intellectuæ similitudinem gerens. Sed ut patet ex illā solu-

Respondeo Ill. Godoy sed S. Augustinus & frater bines ipsi contrariatur.

Nunc ostendo Ill. Godoy frater bines ipsi dicere.

solutione, Verbum divinum non importat naturam sub conceptu naturæ; quod omnino requiritur ad veram generationem Filii; ut docet ipsemet. Ergo non ideo processio verbi est generatio, quia procedit per intellectum, qui ex proprio conceptu assimilativus est. Uterius. Licet verbo non communicetur divina natura; sed solum intellectio, dummodo ei ut Filio communicetur, salvatur, quidquid requiritur ad generationem, ut ipse docet dicto num. 80. Hoc autem clarè videtur cum dicta Conclusionè pugnare. Ergo. Probatur minor primò. Nam eà ratione, quâ terminus non evadit in similitudinem naturæ sub conceptu naturæ, nec est, nec dicitur Filius. At si verbo, ut procedit ab intellectu Patris, non communicaretur natura sub conceptu naturæ, non evaderet in similitudinem naturæ sub hoc conceptu. Ergo cum hoc requiratur ad rationem Filii, & hoc non habeat Verbum, ut procedit per intellectum formaliter; non ideo processio verbi erit generatio, quia procedit per intellectum. Secundò. Quia semel supposito, quod non communicaretur divina natura secundæ Personæ, ut est Verbum; sed solum illi, ut est Filius, incidimus iterum in Quæstionem; cur scilicet secunda Persona sit Filius, & ejus processio generatio? Cui sub tali suppositione non potest responderi per positam Conclusionem Illustrissimi Godoy, ut constat ex dictis.

Igitur respondeo, Verbo divino communicari intellecti- onem nõ primariò; sed secundariò.

166. Igitur ad argumentum respondeo distinguendo majorem; communicatur divina intellectio primariò, & principaliter, nego: Secundariò, & minus principaliter, concedo majorem, & minorem in sensu virtuali, aut formali secundum modum nostrum concipiendi; & nego consequentiam. Ratio solutionis est. Quia Verbum evadit ex vi suæ processions ut expressa similitudo omnium, quæ intelliguntur à Patre; eo tamen modo, & ordine, quo intelliguntur: Cum autem inter ea, quæ intelligit, natura divina sit objectum primarium, & magis principale; reliquæ verò perfectiones divinæ, ut intellectio, volitio, &c. nostro modo intelligendi se habeant ut quid consequutum ad divinam naturam; ideo hæc intelligitur à nobis communicari Verbo divino primariò, & magis principaliter; intellectio verò, & alia secundariò, & solum secundum ordinem, quo juxta nostrum modum concipiendi, sicut in mente divinâ, & intelliguntur à Patre. Jam verò cum natura divina primariò, & principaliter ex vi suæ processions communicetur Verbo divino; ideo hoc procedit in similitudinem naturæ, & consequenter ut Filius.

Theol.

167. Ad primam probationem distinguo antecedens: Verbum ratione suæ processions est sapientia genita per modum termini producti, concedo; per modum principii, vel actualis operationis, nego antecedens. Sapientia enim tripliciter accipitur. Primò pro principio sapientie; secundò pro actuali sapientia; tertio pro termino producto per sapientiam. Divinum autem Verbum vocatur, & est sapientia in tertiâ acceptione; non verò in primâ, nec secundâ; quæ cum aliquid notionale importent juxta supra dicta, soli competunt Patri: Unde Pater dicitur sapiens, ut concipiens; Filius autem non dicitur sapiens ut concipiens; sed quia est Verbum conceptum. Ad secundam probationem dictum est jam, communicari verbo, quidquid est absolutum ex parte intellectus prout intelligentis, vel primariò, vel secundariò; naturam tamen divinam principaliter, & primariò communicari. Ad tertiam distinguo majorem: Pater eà ratione, quâ est dicens se, est generans, concedo: eà ratione, quâ est dicens alia à se, nego majorem, & consequentiam cum minori. Quia Pater eà ratione dicit, quâ intelligit; & Verbum eà ratione terminat dictionem, quâ Pater intelligit, & dicit. Cum ergo juxta dicta Pater primariò intelligat suam naturam divinam, primariò eam dicit, & prout sic primariò ea Verbo divino communicatur.

Verbi ratione suæ processions est sapientia genita per modum termini producti.

168. Sed instabis. Secunda Persona dicitur Verbum creaturarum, & neque est, nec dici potest Filius creaturarum. Ergo secunda Persona ut Verbum non est Filius: Aliter sicut est creaturarum Verbum, esset creaturarum Filius. Concesso antecedenti, distinguo consequens: Secunda Persona, ut Verbum Dei se dicentis, non est Filius, nego: Ut est Verbum creaturarum, quæ intelliguntur, & cognoscuntur à Patre, concedo consequentiam.

2. Persona est Filius, ut est Verbum Dei se dicentis; nõ ut Verbum creaturarum.

169. Explicatur solutio. Tripliciter dici potest, Verbum internum esse alicujus: Primò dicitur Verbum esse illius; quod intelligitur; sic quando intellectus noster, ut intelligat lapidem, format Verbum, tale Verbum dicitur Verbum lapidis ex eò, quod est expressa lapidis similitudo. Secundò dicitur Verbum illius, à quo procedit, etiamsi non sit similitudo formalis ejus, à quo procedit; & in hoc sensu omne verbum dicitur verbum intellectus; quia ab illo progreditur, atque procedit. Tertio dicitur verbum esse proprium illius, à quo procedit, non solum ex illâ ratione generali, quâ ab ipso procedit; sed quia progreditur ut trahens, & gerens similitudinem ipsius, à quo procedit.

Tripliciter dici potest, Verbum internum esse alicujus.

B b

dicit.

dit. Sic quodcumque intellectus noster suprà se reflectens, se intelligit, format Verbum, quod est Verbum illius; non èd solum, quod ab intellectu procedit; hoc enim etiam verbo lapidis; imò omni verbo competit juxtà acceptionem secundam; sed quia cum supponamus, intellectum se intelligere, & omne Verbum procedat, ut similitudo expressa ejus, quod intelligitur, à fortiori tale Verbum procedit ut trahens, & gerens similitudinem ipsius intellectus, à quo procedit.

Eriam tripliciter possumus Verbum usurpare divinum.

170. Juxtà hunc triplicem modum possumus accipere divinum Verbum: Primò, prout est expressivum, & manifestativum omnium, quæ intelliguntur à Patre: Cum autem Pater non solum intelligat se; sed etiam creaturas, Verbum divinum non solum dicitur Verbum Dei; sed etiam creaturarum: Secunda verò Persona non idè est Filius, quia est Verbum creaturarum, èd quòd sub hâc ratione non refert similitudinem dicentis, seu Patris, à quo procedit. Secundò sumitur, prout est Verbum Patris, èd solum, quod procedat à Patre prout intelligente creaturas; quemadmodum dicimus, Verbum lapidis esse etiam Verbum nostri intellectus; quia ab illo procedit. Tertiò modo Verbum divinum dicitur, & quidem propriissimè Verbum Dei, sive Patris; quia cum Pater se intelligat; suam videlicet naturam, principaliter, & primariò; cæterasque perfectiones divinas, quæ nostro modo intelligendi consequuntur ad ejus naturam; Verbum divinum ex vi suæ processionis procedit ut trahens, & referens similitudinem Patris intelligentis, & dicentis se ipsum; idest, prout intelligentis, & dicentis naturam suam, intellectionem, & volitionem, &c. In hoc autem sensu idèd secunda Persona Trinitatis est Filius, quia ut Verbum procedit.

Id cõspici-
cua ratio-
ne sua-
deo.

171. Ratio est clara. Quia Filius ex vi speciali suæ processionis debet procedere in similitudinem naturæ; idest, ut similitudo expressa speciei generantis, ut contingit etiam in creatis. Clarius. Filius ex vi suæ processionis debet procedere ut trahens, & accipiens per modum similitudinis speciem, & naturam generantis. Ast sola ratio Verbi, prout est Verbum Dei Patris intelligentis, & dicentis se, suamque naturam, &c. sola, inquam, illa est, quæ trahit, & accipit naturam divinam, & alias perfectiones, ut expressa similitudo. Ergo potissima ratio, quare secunda Persona est Filius, est, quia procedit per modum verbi. De majori, omni seclusà Quæstione de nomine, nulli potest esse dubium. Minor etiam est certa. Quia inter ea, quæ procedunt à potentiis, & principiis purè spiritualibus; id solummodò, quod procedit

per operationem intellectus ut Verbum; habet ex propriâ sui ratione, quod sit similitudo illius, à quo procedit.

172. Replicabis primò. Quod secunda Persona sit Verbum creaturarum, quæ intelliguntur à Patre, non conducit ut ratio, ob quam secunda Persona sit Filius. Ergo quod secunda Persona sit Filius, Verbum intellectionis, volitionis, & aliarum perfectionum, quæ intelliguntur à Patre, non pertinet ad rationem Filii. Antecedens constat. Consequencia probatur. Ad rationem perfectissimam Filii solum requiritur, quod ex vi suæ processionis procedat in similitudinem nature generantis. Sed secunda Persona, ut est Verbum intellectus, & voluntatis; intellectionis, & volitionis, &c. non est in similitudinem naturæ; cum tales perfectiones non sint de conceptu naturæ; sed illam solum consequantur. Ergo.

173. Tollenda est æquivocatio, ne an- sam prætet errandi. Unde si replica solum intendat sensum identicum, & realem, loquaturque de his, quæ intelliguntur à Patre; cum intellectione, volitione, &c. sint una indivisibilis entitas, quam Pater absque ullâ præcisione, & distinctione intelligit; idem est, Verbum procedere ut expressivum intellectionis, ac ut expressivum, & in similitudinem naturæ; quia Pater non intelligit naturam suam ut distinctam ab aliis perfectionibus; cum in Deo independenter à nostris conceptibus, non sit alia, & alia perfectio: Sed solum intelligit unam simplicissimam perfectionem; quæ quia infinita est, & ideo non possit à nobis ob nostri intellectus limitationem, unico verbo, aut conceptu perfectè, & adæquatè attingi; propterea per species creaturarum varios efformamus conceptus de illâ simplicissimâ, & infinitâ perfectione; juxtà quorum multiplicationem multiplicatur etiam divina perfectio, non prout in se est; sed juxtà nostros modos concipiendi. Unde si quæras de his perfectionibus, non prout sunt in nostris conceptibus; sed prout independenter ab omni nostro conceptu sunt in Deo; verè, & propriissimè loquendo, non sunt plures perfectiones; sed unica, & indivisa perfectio, quæ solum est divisa, & multiplicata propter diversitatem conceptuum, in quibus abstractivè partim, & divisim cognoscitur juxtà alibi dicta. Propterea replica, ut aliquam fortiatu vim, non videtur loqui de generatione, & processionem Verbi comparativè ad id, quod in Deo contingit, prout in Deo solum; sed potius prout cadit sub Theologiam humanam, quæ tota expenditur in eo, quod per nostros conceptus exploremus perfectiones divinas ita, ut dignè semper & concipiamus, & sentiamus, & loquamur de Deo.

Nunc ad
replicam
respondeo.

174. In hoc igitur sensu respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad probationem distinguo majorem; solum requiritur, quod procedat in similitudinem naturae imperfectae, nego: In similitudinem naturae perfectae, seu cum omnibus perfectionibus, quae à nobis intelliguntur consequi ad naturam divinam, concedo majorem. Et distinguo minorem: Sed ut est verbum intellectus, voluntatis, &c. non est in similitudinem naturae, nec in similitudinem perfectionum necessarium ad naturam consequentiarum, nego: Non est in similitudinem naturae; id est, prout Verbum divinum exprimit omnes perfectiones attributales, non exprimit naturam divinam, concedo minorem. Hoc autem non tollit, quod istarum perfectionum expressio in verbo sit necessaria, & conducatur ad hoc, ut secunda Persona sit perfectissime Filius; licet expressio creaturarum non conducatur ad hoc, ut Verbum divinum sit Filius, prout respicit creaturas.

Ratione
solutionis
affigno.

175. Ratio disparitatis, & solutionis est. Quia ad perfectam rationem Filii requiritur, quod ei communicetur natura cum omnibus perfectionibus naturalibus; sic autem generans creaturam vi generationis communicat non solum naturam specificam; sed etiam proprietates talis naturae; ut esse intellectivum, volitivum, risibile, potentiam videndi, &c. ita, ut si communicaret naturam sine potentia visiva, vel etiam sine manibus, &c. diceretur illa generatio naturalis absolute imperfecta, ac proinde Patrem genuisse Filium naturaliter imperfectum, utpotè caecum, mancum, &c. Propterea requiritur, quod Filius ex vi suae processionis trahat similitudinem naturae cum omnibus perfectionibus, naturam sequentibus. Hinc est, quod cum in Deo nos concipiamus ultra naturam, perfectiones alias, ut intellectum, voluntatem, &c. ad hoc, ut secunda Persona evadat perfectissime Filius, debet procedere ut verbum gerens similitudinem naturae Patris cum omnibus illis perfectionibus, sine quibus esset, vel conciperetur Pater imperfectus in esse naturali. Verum haec ratio non militat in secunda Trinitatis Persona, ut est Verbum creaturarum: Quia cum creaturae, quae intelliguntur à Patre nec sint natura Patris, nec perfectio aliqua naturalis, quae consequatur ad naturam Patris: Inde est, quod ratio Verbi creaturarum prout sic, non conducatur ad rationem Filii: Quia haec solum stat in eo, quod ex parte termini detur perfectissima similitudo propria, & naturalis ejus, à quo procedit; maxime cum creaturae, quae intelliguntur à Patre, non sint in Verbo divino secundum esse proprium, & naturale ipsarum; sed solum secundum esse intentionale.

Theol.

LECTIO VI.

Oppositis contra tertiam Conclusionem occurrimus.

176. **O**pponitur septimo contra tertiam Conclusionem ex ipsa ratione dubitandi supra exarata. Etenim generatio viventium propria, & quae sola potest reperiri in Deo, est origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturae. At definitio haec convenit non solum processioni Verbi, sed etiam processioni Spiritus Sancti: Cum Spiritus Sanctus non minus sit vivens, ac Verbum; & à vivente conjuncto, cum sit terminus actionis immanentis; & ulterius est in similitudinem naturae, cum eandem Patris, & Filii per processionem accipiat. Ergo non est, cur potius uni, & non alii processioni conveniat, quod sit generatio. Huic argumento communiter Doctores, & praecipue nobis consentientes in Conclusionem, respondent, concessam majori, negando minorem. Ad cujus probationem, ejus ultimam partem distinguunt sic: Cum eandem Patris, & Filii naturam accipiat, formaliter ex vi processionis, negant: Identice ex eo, quod quidquid reperitur in Deo est Deus, concedunt; & negant consequentiam. Quia ad hoc, quod processioni Spiritus Sancti competere, ei deberet ex vi processionis communicari divina natura. Ita Illustrissimus Godoy, & alii Thomistae. Verum haec communis solutio aliis merito displicet. Tum quia definitionibus nihil est addendum; sed sunt accipiendae, ut in se sunt. Sed in definitione generationis viventium non est illa particula: *Ex vi processionis*. Ergo. Tum quia processionem Spiritus Sancti vel convenit talis definitio, vel non eo modo, quo ab omnibus traditur, vel admittitur? Si primum; erit generatio. Si secundum: Ergo necessarium non est illam particulam addere. Illud autem, quod responderi Godoy, talem scilicet particulam addi per modum explanationis; non videtur plena satisfactio: Quia cum definitio sit oratio explicans naturam rei, talis debet esse, ut explanatione non egeat; cum ex suo conceptu sit rei ipsius explicatio: Alias aut obscura, aut diminuta esset; quod ex utraque parte est contra leges bonae definitionis.

Ratio dubitandi proponitur in Quaestione principio exarata.

177. Quidquid autem sit de his, & aliis impugnationibus; nos tamen adversus solutionem datam maxime nitimur: Primum rationibus illis, quas dedimus in prima Conclusionem. Secundum. Quia in divinis Personis solus Pater tam identice, quam formaliter est innascibilis, improductus, & à

Illis peculiaribus argumentis impugno.

B b 2

nullo

nullo procedens; ita, ut quidquid Pater habet, sive realiter, sive formaliter, à nullo habeat. Ergo cum Spiritus Sanctus Pater non sit, nec innascibilis, nec improductus; quidquid habet, sive illud habeat realiter, sive formaliter, ab alio principio habet. Sed habet ab alio per processionem; cum imperceptibile sit, terminum productum habere aliquid ab alio, & quod illud non habeat virtute processionis, quâ ab alio procedit. Ergo si Spiritus Sanctus habeat naturam ab alio principio, sive illam accipiat identicè, sive formaliter (istæ enim voces parum jvant) certè illam vi processionis accipiet. At juxtà hos Doctores terminus procedens eò, quòd accipit naturam à producente, vi processionis, est Filius. Ergo Spiritus Sanctus juxtà hunc dicendi modum erit Filius; quod nec dici, nec excogitari debet.

Nunc ref-
pòdeo ad
dubitandi
rationem.

178. Quare alià vià probabiliori respondeo ad argumentum, & dubitandi rationem: Concessã nempe majori, negando minorem. Ad probationem verò in eâ imbitam, concedo reliquas particulas; Spiritum scilicet Sanctum esse vivens à vivente conjuncto; nego tamen, quod ejus processio sit ullo modo in similitudinem naturæ. Pro cuius explicatione notare oportet duplicem similitudinem: Aliam non ita propriam, & quæ sumitur pro identitate, itaque in solâ perfectione absolutâ, & quæ explicari potest per hanc particulam *sicut v. g. sicut Pater est Deus, sic & Filius; sicut Filius est Deus, & coæternus, & consubstantialis Patri; sic & Spiritus Sanctus; & e contra; sicut Spiritus Sanctus est Deus, & c. sic Pater, & Filius: In quo sensu omnes tres divinæ Personæ sive realiter, sive formaliter possunt dici similes inter se, habereque hanc identitatis similitudinem in naturâ, & aliis perfectionibus absolutis; de quâ similitudine supra diximus; & hoc modo Pater, etiam à nullo procedat, est similis in naturâ Filio, & similiter Filius, & Spiritus Sanctus Patri.*

Alia est
similitu-
do, quæ in
generati-
onis vivi-
tium defini-
tione im-
portatur.

179. Altera est similitudo, quæ maximè in præsentibus desideratur, & solum importatur in definitione generationis viventium, cum ibi dicitur *in similitudinem naturæ*. Quæ similitudo se habet solum ex parte originis, sive processionis passivæ. Ratio est. Quia *origo viventis à vivente*, non activè, sed passivè sumitur. Hinc est, quod similitudo, quæ attenditur in generatione divinâ, non consistat in absoluto solum, nec in relativo tantum; sed in utroque simul. Cujus ratio etiâ est. Quia similitudo importata in definitione generationis stat in origine, seu processione passivâ; est enim generatio *origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ*. At, ut constat ex antelapsis Quæstionibus, ratio generationis stare nequit in

solo absoluto, nec in solo relativo; sed in utroque simul; sive processio accipitur passivè, sive activè. Ergo similitudo requisita ad divinam generationem, est ex utroque simul colligenda. His positis.

180. In sententiâ nostrâ clarissima ostenditur ratio, quare processio passivâ secundæ Personæ sit generatio; eò quòd est in similitudinem naturæ; non verò processio passivâ tertiæ Personæ, eò quòd ista in similitudinem naturæ non est. Ratio igitur est. Quia processio secundæ Personæ est processio Verbi; Verbum autem ex quidditate suâ tam realiter, quàm formaliter habet, quod sit similitudo, & imago dicentis ipsum: Jam verò cum prima Persona intelligendo, dicendoque se, & suam naturam, ac ipsius perfectiones, producat Verbum; & hoc ut tale sit similitudo expressa dicentis; ita, ut in Verbo habeantur perfectiones, quæ intelliguntur, & dicuntur à producente ipsum; sit planum, quod secunda Persona procedendo à primâ ut Verbum, accipiat ab ipsâ naturam divinam, & esse Deum, non utcumque; sed ut similitudo Dei; quemadmodum proportionem servatâ, species intentionalis, quæ procedit à Petro, & apparet in speculo, est similitudo expressa ipsius Petri; cui exemplo maximè consonant Verba illa: *Quod scilicet speculum sit sine maculâ, & imago bonitatis illius.*

181. Unde secunda Persona ratione processionis divinæ præcisè est Deus de Deo; at verò ratione peculiari, & quasi specifica suæ processionis, quæ est per modum Verbi, habet, quod sit Deus de Deo ut similitudo, & imago substantialis Dei Patris; quod tertiæ Personæ non competit: Quia tertia Persona est processio Amoris per modum termini producti, & subsistentis: Jam verò cum Amor productus non habeat esse similitudinem amantis, aut boni amati, sicut Dei Patris. Verbum productum est similitudo productis ipsius; sit etiam planum, quod scilicet Spiritus Sanctus ratione processionis præcisè accipiat esse æquale, & esse Deum de Deo, ut omnimoda æqualitas tam realis, quàm formalis inter divinas processiones salvetur; nihilominus non sit Filius: Quia nec ratione communi, nec particulari suæ processionis procedit Deus de Deo ut similitudo, & imago substantialis Dei; ac proinde nec ejus processio passivâ sit generatio: Quia generatio est origo viventis à vivente conjuncto ut similitudo naturæ, vel in similitudinem naturæ; processio autem Amoris est per modum solius impulsus, & non ut formalis similitudo naturæ, vel ipsum producentis.

Deinde obijcitur. **182.** Oponitur octavo, Secunda Persona est Filius, quia ei communicatur primò natura divina: & secundariò attributa. Ad Spiritui Sancto communicatur etiam primariò natura divina, & secundariò alia perfectiones attributales. Ergo erit Filius. Ubi nota, ly *primariò communicatur*, non accipi in argumento pro eo quod sicut primariò prioritare originis natura divina communicatur secundæ Personæ; ita similiter & tertiæ Personæ: hoc enim esset implicatoriū. Cùm secunda Persona origine sit prior tertiâ, ac proinde prius origine accipiat naturam, & alia, sumitur ergo ly *primò*, vel *primariò* comparativè ad ea, quæ cuilibet Personæ communicantur; intenditque argumentum, quod sicut inter ea, quæ communicantur secundæ Personæ, primò communicatur natura; sic inter eadem, quæ secundæ Personæ communicantur, primò ei communicetur natura. Hâc igitur æquivocatione sublatâ.

183. Argumento respondent Thomistæ, inter quos Reverendissimus Godoy disp. 74. num. 87. Gonetus disp. 9. num. 196. & ex nostris aliqui Recentiores, vel negando absolute minorem, vel eam sic distinguendo: communicatur natura divina primò in intentione, negant: primò in executione, & per modum subjecti radicalis, & ratione identitatis, concedunt minorem. Sentiunt igitur Doctores isti, quod licet natura prius veluti executivè communicetur Spiritui Sancto, quam omnia attributa: quia essentia est veluti subjectum, & radix illorum; tamen in intentione non ita contingere: quia actio voluntatis primò ad communicandum alterum inclinatur: & idè non natura; sed attributum est ratio primaria, quæ communicatur. Idem sub aliis terminis respondent alii; ex vi scilicet formali processionis Spiritui Sancto communicari attributum volitionis; naturam verò divinam non formaliter ex vi processionis: sed solum materialiter, & identicè: hoc est, propter identitatem realem, quam habet cum volitione divinâ, quæ solum ex vi formali communicatur.

184. Displicet tamen solutio primò. Quia clarè militat contra Divum Thomam, præcipuè 4. contra gentes, cap. 23. ubi sic ait: *Quod autem in solâ naturâ divinâ pluribus modis natura communicatur, rationabile est; quia in solo Deo ejus operatio est suum esse; unde cum in eo, sicut in qualibet intellectuali naturâ sit intelligere, & velle, id, quod procedit in eo per modum intellectûs, ut Verbum, aut Amoris, aut Voluntatis, ut Amor, oportet, quod habeat esse divinum: & sic tam Filius, quam Spiritus Sanctus est verus Deus.* Ita ibi.

185. Ex quibus duo inferuntur contra prædictam solutionem: Primum est, naturam divinam pluribus communicari modis:

per intelligere scilicet & velle: juxta Adversarios autem uno modo natura communicatur; cùm solum hæc per intelligere communicetur Filio. Secundum est, tam Verbo, quam Spiritui Sancto communicari divinam naturam vi processionis: ostenditur ex eadem autoritate. Quod enim procedit ut Verbum, ex vi formali processionis ut tale; & quod procedit ut Amor, ex vi formalis processionis procedit ut talis. Sed juxta Divum Thomam quod in Deo procedit, sive ut Verbum, sive ut Amor, oportet quod habeat esse divinum, & sit Deus. Ergo utraque divina Persona formaliter, & ex vi processionis divinæ est Deus; quæ proinde accipit naturam divinam diverso modo, quæ diversitas solum est ad solutionem controversiæ.

186. Secundò. Nullus est terminus naturalis creatus, & productus ab aliquo agente, qui ex intentione agentis ex vi formalis suæ productionis non accipiat aliquam naturam: unde agens naturale, quod ex vi suæ productionis solum posset communicare sui proprietatem, & non naturam, imperfectum omninò esset, imò saltem naturaliter loquendo, impossibile est agens, quod ex sui intentione communicaret alteri proprietatem suæ naturæ, & non ipsam naturam; cùm proprietas naturæ absque ipsâ naturâ non possit naturaliter esse: vel quod primariò intenderet proprietatem, & secundariò naturam: hoc enim esset invertere ordinem, & intentionem naturæ; cùm juxta Philosophum forma substantialis se habeat ut finis. Ergo imperceptibile est, quod aliquid procedat à principio divino, quin ex intentione principii vi processionis accipiat aliquam naturam. Sed non aliam, præter naturam divinam; cùm in Deo unica tantum natura sit. Ergo Spiritus Sanctus ex vi formalis processionis procedit ut terminus divinus, vel terminus productus formaliter, ex vi processionis accipit formaliter naturam divinam.

187. Respondebis, accipere quidem ex vi processionis naturam divinam, sed non quasi primam & substantialem; sed naturam aliquam attributalem; naturam scilicet volitionis. Verum ista responsio præter verborum abusum, de re nihil continet. Primò, Quia in Deo, sive ipsum accipiamus in sensu identico, & reali, sive in sensu formali per intellectum, illum distinguendo per naturam, & attributa, sive virtualiter; nunquam considerantur Theologi nisi unicam naturam, vel realiter sumptam, vel virtualiter acceptam: dicere autem, esse in Deo propriè plures naturas divinas realiter aut formaliter, irrationabile est.

188. Secundò. Quia dicere, quodlibet attributum in Deo habere naturam attributivam est abusus: cùm aliud sit, aliquid esse attributum

Nullus enim est terminus naturalis ab aliquo agente productus qui ex ejus intentione, & vi productionis non recipiat aliquam naturam

Displicet, quia dicitur quodlibet attributum

B b 3

habere natura
turam attributi
tributi est
abusus.

butum, aut proprietates alicujus naturæ: & aliud quod illud sit natura aliqua, vel quod habeat aliquam naturam respectu illius suppositi. Tertiò juxta veram Philosophiam in quolibet supposito naturali duplex solum natura consideratur: materia scilicet & forma, vel una composita ex materia & forma, ut ex primis principiis, Reliqua verò, quæ naturam consequuntur, non sunt natura; sed solum dicuntur proprietates naturales: quia ab illo ut à primo principio dimanant. Si enim, ut dixit supra Divus Thomas, de Divinis loqui debemus secundum modum nostrum, & prout speciem accipimus ab his inferioribus: per quam speciem possumus dicere, quod proprietates & attributa, quæ concipiuntur à natura divinâ, ut à primo & radicali principio, sint modo aliquo proprio divina natura? Insuper per quâ speciem possumus dicere, quod in Deo est aliquis terminus productus ad intra, qui ex intentione divini Agentis solum habeat formaliter proprietatem & attributum divinæ naturæ; non autem ipsam naturam? Cùm etiam in creatis sit impossibilis terminus naturaliter trahens vi processionis & primariè proprietatem naturæ creatæ, & non naturâ: Unde si tale quid contingeret, agens taliter agendo esset imperfectum, ejusque intentio imperfectissima: & in tali modo agendi perfectissimum naturæ ordo inverteretur. Relinquitur ergo, nullum suppetere fundamentum ad asserendum, esse in Deo terminum productum absque communicatione naturæ ex vi processionis. Quare.

Nunc ergo ad argumentum respondeo.

189. Respondeo ad argumentum, distinguendo majorem: Secunda Persona est Filius, quia communicatur ei natura divina primò, præcisè nego: quia communicatur natura divina per processionem divinam, aut originem, quæ est similitudo naturæ, concedo majorem. Et distinguo minorem: Spiritui Sancto communicatur primò natura, & secundariè attributa per processionem, vel originem, quæ fit in similitudinem naturæ, vel similitudo naturæ, nego: per processionem, quæ fit per modum impulsus, aut amoris, concedo minorem. Hoc autem solum probat, Spiritum Sanctum esse Deum procedentem per modum impulsus, aut amoris producti ex vi suæ processionis, non verò esse Filium, quod solum competit secundæ Personæ: cujus processio cùm sit per modum Verbi, est similitudo naturæ: qui modus accipiendi naturam, constituit secundam Personam verè & propriè Filium, ut ex dictis constat.

Opponitur. Amor divinus non dicitur naturam divinam formaliter, & ex vi processionis solum procedit ut Amor. Ergo formaliter, & ex vi

190. Opponitur non d. Primò, Amor divinus ut talis non est natura divina, nec illam includit, vel saltem explicitè non dicit naturam divinam. Sed Spiritus Sanctus formaliter, & ex vi processionis solum procedit ut Amor. Ergo formaliter, & ex vi

processionis non dicit naturam divinam, ac proinde non procedit ut Deus: quod est contra nos. Major in sensu saltem virtuali est communissima. Minor etiam constat. Quia amor. hi termini formaliter, & ex vi processionis solum denotant id, quod ex parte processionis passivæ explicatur, & invenitur: ex parte processionis passivæ Spiritus Sancti solum explicatur Amor, quia illa juxta omnes Theologos solum est per modum Amoris, Secundo. Quia quod procedit ut Deus formaliter, procedit ut Persona. Sed Spiritus Sanctus ut procedit per modum Amoris, vel ut Amor, non procedit ut Persona, sed solum ut Amor subsistens. Ergo non procedit ut Deus, nec accipiendo primò naturam divinam. Minor patet. Quia Amor ut Amor non est Persona.

191. Respondeo ad primum, distinguendo majorem: Amor divinus sumptus absolute, & ut attributum, concedo: Amor divinus per modum termini producti, nego majorem. Pro solutionis explicatione notanda est doctrina Divi Thomæ in 1. Sentent. dist. 10, quæst. 1, art. 1, cujus titulus: *Utrum Spiritus Sanctus procedat ut Amor?* Ubi ad quartum sic ait: *Dicendum, quod Amor in divinis tripliciter sumitur: quandoq; enim sumitur essentialiter, quandoq; notionaliter, quando sumitur essentialiter non dicit aliquam processionem, vel relationem realem, sed tantum rationis: sicut cùm de Deo dicimus intelligens & intellectum; quando autem dicitur personaliter, tunc importatur perfectio, & relatio realis, & res procedens, sicut Amor est quid procedens. Et statim subdit: Secundum quod est essentialiter, est commune tribus; sed appropriatur Spiritui Sancto, ut cùm dicitur Deus charitas est: secundum autem quod est personale, est proprium Spiritui Sancti, & dicitur, quod Spiritus procedit ut Amor: Secundum autem quod est notionale, est quedam relatio, vel notio communis Patri & Filio, quæ etiam dicitur communis spiratio: & hoc modo significatur Amor in hoc verbo distinguunt: cùm dicitur, Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto. Ita ibi. Idem docuit in 1. Sententiar. ad Annibaldum dist. 10, quæst. unica art. 1, ubi ait ad tertium. *Dicendum quod Charitas & Amor potest tripliciter accipi: essentialiter, personaliter, notionaliter. Personaliter autem quando nomine Amoris importatur processio realis: & sic solum Spiritus Sanctus Amor est.**

192. Ex quibus tollit Sanctus Doctor magnam æquivocationem, quæ in divinis per hoc nomen Amor potest esse, Unde Amor divinus si accipitur essentialiter, tantum valet, ac volitio realis, & ut sic licet realiter sit natura divina, virtualiter tamen, vel formaliter per intellectum non est natura; sed attributum naturæ. Amor autem personaliter, seu per modum termini producti dicit naturam divinam, ac proinde est Deus

S. proce-
dit forma
liter ut
amor.

Ad 1. di-
co amore
divinum
per modum
termini
producti
dicere na-
turam di-
vinam.

Amorige-
tur divi-
nus potest
accipi es-
sentialiter
& per se
nalter.

ex vi processionis: cum ei communicetur primò natura, & deinde volitio, quæ tribus Personis est communis; licet modus, quo ei communicatur, sit longè diversus ab eo, quo natura divina secundæ Personæ communicatur. Unde sicut hoc nomen *Verbum divinum* est personale, & importat naturam divinam acceptam per intellectum; ita hoc nomen *Amor productus*, sive *procedens* est, nomen personale, & significat naturam acceptam per voluntatem, sicut patet de hoc nomine *Spiritus Sanctus*, quod nihil differt ab hoc nomine *Amor productus*; sive *procedens*.

Ad 2. negativè respondeo.

193. Hinc ad secundum, concessâ majori, nego minorem. Imò hoc ipso, quod Contrarii admittunt, Spiritum Sanctum ex vi processionis procedere ut Amorem subsistentem; consequenter debent admittere, quod procedat ut Amor, qui est suppositum, & persona. Tum quia Amor, ut importat processionem realem, *personaliter* dicitur, ut constat ex D. Thomâ. Tum quia sicut Verbum procedit ut quid subsistens, suppositum, & persona: sic Spiritus Divinus, vel Amor productus procedit ut persona.

Instant ergo, Spiritus s. æquè ac verbum procedit ut Deus, distinguo.

194. Instabis primò. Ergo Spiritus Sanctus ex vi processionis procedit æquè, & eodem modo Deus, ac Verbum. Distinguo consequens; æquè & eodem modo Deus ex vi processionis secundum rationem peculiarem, quæ competit processionis Spiritus Sancti, nego consequentiam. Ex vi processionis secundum rationem communem divinæ processionis, concedo consequentiam. Ratio est. Quia ut dictum est supra, peculiaris ratio in processione Spiritus Sancti est, quod procedat ut Amor. Cùm igitur ratio Amoris non habeat ex suo conceptu esse similitudinem Amantis: inde est, quod Spiritus Sanctus ex vi peculiari suæ processionis non accipiat naturam amantis: illam tamen accipit ex eo quod est Amor divinus productus; quia sicut omnis terminus creatus accipit naturam creatam ab agente creato: sic omnis terminus divinus realiter productus ad intra, debet ex hac ratione ab agente divino accipere naturam divinam. Alia tamen est ratio in processione Verbi: quia Verbum ut tale petit esse similitudo dicentis: unde hæc est differentia inter verbum alicujus se ipsum dicentis, & inter amorem alicujus se ipsum amantis; quod Verbum, cùm ex se sit similitudo, & imago dicentis, necessariò debet continere naturam illius vel accidentaliter, vel naturaliter juxta determinationem verbi aut creati, aut increati. At verò Amor alicujus se ipsum amantis, cùm nullo modo sit similitudo, aut imago amantis, non est unde petat continere naturam sui principii, vel amantis.

Instant iterum, ergo divi-

195. Instabis secundò. Ergo processionis divinæ non sunt æqualis perfectionis.

Probatur consequentia. Processio divina, quæ ex suo peculiari conceptu dicit naturam, perfectior est eâ, quæ ex suâ peculiari ratione naturam non dicit. At processio divini Verbi ex suâ peculiari ratione dicit naturam: & processio Spiritus Sancti ex peculiari ratione suâ naturam non dicit. Vel aliter. Terminus, qui procedit ut Deus, perfectior est illo, qui non procedit ut Deus. Sed Verbum divinum secundum peculiarem rationem suæ processionis modo dicto procedit ut Deus, cùm ex suâ ratione dicat naturam: Spiritus autem Sanctus ex peculiari ratione suæ processionis naturam non dicat. Ergo.

196. Hæc instantia potiori jure urget asserentes, Spiritum Sanctum nullo modo procedere formaliter ut Deum, neque secundum rationem communem processionis divinæ. In nostrâ verò sententiâ nullam vim habet. Pro cujus explicatione hic est supra data revocanda doctrina: scilicet in processionibus divinis duas relationes posse considerari: aliam per modum rationis communis utrique processionis; & aliam per modum rationis differentialis: v. g. In processione secundæ Personæ consideratur quod sit processio divina, & hoc ipsum reperitur in processione tertiæ Personæ, quæ tam divina est, ac secundæ Personæ processio. Præter hanc rationem communem relucet in qualibet processione sua peculiaris ratio; quod scilicet in secundâ Personâ processio divina sit per modum Verbi, & in tertiâ Personâ processio divina sit per modum Amoris.

Pro solutione nota, in divinis processionibus duplicem relationem posse considerari.

197. Unde formaliter, & nostro modo intelligendi ratio Verbi præcisè est specialis respectu processionis secundæ, ita ut in his verbis quorum in hac disputatione usus est frequentissimus: v. g. *Secundæ Personæ ex vi suæ processionis formaliter*, vel *ex vi formalis suæ processionis*: solummodò importetur ratio Verbi: & in eisdem verbis respectu processionis Spiritus Sancti importetur solum ratio Amoris; ita ut ratio Verbi præcindens ab eo quod sit divinum, vel non sit divinum, formaliter sit tota specialis, & differentialis ratio in processione secundæ Personæ, & similiter Amoris procedentis, cum præcisione tamen, an Amor sit divinus vel non; sit etiam formaliter tota specialis ratio, quæ relucet in processione Spiritus Sancti. Ratio hujus doctrinæ est. Quia quod processio sit divina, & quod terminus sit divinus, utrique processionis est quid commune: ex quo patet quod solum ratio Amoris procedentis in unâ processione, & ratio Verbi producti in alterâ sint rationes speciales talium processionum.

Unde ratio verbi præcisè est specialis respectu 2. processionis.

198. Hinc est, quod secundum utramque rationem communem, & differentialem possumus loqui de perfectione divinarum processionum; si enim loquamur de ratione communi utrique

Dicendū igitur est, processionis divinas tam

realiter
quã for-
maliter
esse infini-
tẽ perfe-
ctas.

utriq; processioni, sic loquimur de processio-
ne infinitã, & propriã solius Dei, ut cum in
hoc prædicato utraq; processio conveniat,
cum utraq; sit divina, & uterque terminus sit
etiam divinus; dicendũ est processiones divi-
nas tam realiter, quã formaliter infinitẽ per-
fectas; cum perfectio infinita sumatur à præ-
dicato divino, quod æquẽ convenit utrique,
& ratione cuius æquẽ utrique termino com-
municantur primariõ natura divina, & se-
cundariõ attributa. Si verõ loquamur
de perfectione Verbi, & Amoris præci-
sẽ, hæc perfectio divina non est; sed so-
lum vocatur perfectio ex genere suo; & to-
tum argumentum reducimus ad eam quæ-
stionem philosophicã; an scilicet intelle-
ctus ex genere suo sit perfectior voluntate?
Vel an operatio intellectus perfectior sit
operatione voluntatis? Unde pro quacunq;
parte resolvatur, nec in minimo læditur di-
vinarum processionũ perfectio. Quia licet ratio
verbi ex genere sit perfectior, eõ quod
Verbum creatum sit amore perfectius: cum
hæc comparatio non sit inter divinum & di-
vinum, sed inter creatum, & creatum, nul-
quam probatur, quod processio Verbi sit
perfectior processione Amoris divini; nec
quod perfectius sit in divinis esse Verbum,
aut Filium; quã esse Amorem; aut Spi-
ritum Sanctum.

Doctrina
rationem
exhibeo.

199. Ratio est. Quia conceptus Verbi,
& conceptus Amoris in divinis, cum sint ve-
luti modi divinarum processionum, in qui-
bus salvatur infinita processio; non est, cur
unus sit perfectior alio, cum æqualiter divi-
nam processionem determinet. Unde nota,
quod quando dicimus, rationem Filii videli-
cet sumi à ratione Verbi ut præcedentis
formaliter à processione divinã (& idem de
ratione Amoris) non intendimus dicere,
quod ratio verbi, aut ratio Amoris, prout
abstrahunt à creato, & increato, præsent
formaliter illos effectus; sed quod tales rati-
ones, prout determinant divinam proces-
sionem, & prout ab illã condistinctæ forma-
liter, id præsent: quia aliquorum sententia est
quod distinguantur formaliter à processione
divinã; & aliorum est, quod illã includant per
transcendentiam, licet addant modos illos Ver-
bi, & Amoris. Ex quibus facillè constat, quid
sit argumento respondendum in formã.

Igitur di-
vinæ pro-
cessiones
sunt omni-
nõ æqua-
les.

200. Nego igitur consequentiam. Sunt
enim processionẽs divinæ ut tales omninõ
æquales tam realiter, quã formaliter: cujus
ratio constat ex dictis. Ad probationem di-
stinguo majorem: perfectior est illã, quæ
nullo modo dicit naturam, concedo: si na-
turam dicat saltem ratione communi pro-
cessionis, nego majorem. Unde ad hoc, quod
processiones divinæ, & earum termini sint
omninõ æquales in perfectione, solum re-
quiritur, quod æqualiter gaudeant prædicato
divino. Quod autem ratio Verbi sit, vel non

sit perfectior ex genere suo ratione Amoris,
non venit in considerationem; & hoc solum
potest habere locum in his, in quibus ratio
Verbi, & ratio Amoris cum limitatione in-
veniuntur, ut contingit in creatis.

LECTIO VII.

Nonnullæ aliæ difficultates
discutiuntur.

201. **O**pponitur primõ. Processio
Spiritus Sancti tam perfe-
ctio est secundum rationem

communem divinæ processionis, ac est pro-
cessio Verbi: Item terminus processionis
Spiritus Sancti tam perfectus, tamque Deus
est secundum rationem termini procedentis
ad intrã, ac est terminus processionis secun-
dæ Personæ. Sed ratio Amoris producti,
quæ ultimõ, & specialiter determinat, &
constituit processionem Spiritus Sancti ut
talem, non præstat quod Spiritus Sancti
processio sit generatio; nec facit ad hoc,
quod ejus terminus sit Filius. Ergo nec ratio
Verbi. Patet consequentia. Quia sicut ratio
Amoris non conducit ad generationem; sic
ratio præcisẽ Verbi non conducit ad veram
generationem, & propriam Filiationem:
cum in Verbo creato detur propria ratio
Verbi procedentis, quin in illo detur
verã generatio, nec propria Filatio.

1. est. Quia
cum ratio
Amoris
procedit
non facit
quod Spi-
ritus S. sit
Filius, nec id fa-
cit ratio
Verbi.

202. Firmatur ulterius. Fide Catholicã
est certum, Secundam Trinitatis Personam
esse Filium; tertiam verõ non esse Filium;
& hoc independentẽ à nostris conceptibus:
cum etiam sit certissimum, secundam Per-
sonam non idẽ esse Filium, quia sic eam con-
cipimus. Sed ratio Verbi, & Amoris ratio
non possunt præstare differentiam inter se-
cundam, & tertiam Personam; quod scilicet
una sit Filius, & altera non, independentẽ
nostris conceptibus. Ergo Minor probatur.
Ratio Verbi sumitur ab eo, quod processio
secundæ Personæ sit per intellectum; & ratio
Spiritus, seu Amoris sumitur ex eo quod pro-
cessio tertiæ Personæ sit per voluntatem. Sed
independentẽ à nostris conceptibus in Deo
idem sunt intellectus, & voluntas; intelligere
& velle. Ergo à parte rei idem erit, quod pro-
cessio sit per modum Verbi, ac quod sit per
modum Amoris. Aliqui ita se protegunt di-
stinctione virtuali intrinsicã, ut per eam so-
lam videantur plenẽ satis facere difficultati;
quasi nulla alia via pateat defendendi pro-
cessionem Verbi & Filii distinctã à proces-
sione Amoris aut Spiritus S. in Deo; ac proin-
de dicant unam processionem idẽ esse per
modum Verbi, & alteram per modum Amo-
ris, quia in Deo intellectus, & voluntas;
intellectio & volitio virtualiter distin-
guuntur.

Uterque
quia ratio
Verbi, &
Amoris
ratio na-
queunt
præstare
differentiam
inter 2. &
3. personã
cum vo-
luntas à
parte rei
nõ distin-
guatur ab
intellectu
divino.

203. At

Compendium
et
Ripalda

Ad solutio-
tionē nec
sufficiens
nec neces-
saria est
distinctio
virtualis.

203. At quid sit de distinctio-
ne virtuali, quam inter perfectiones Dei abso-
lutas major Recentiorum pars merito negat;
certè talis distinctio virtualis ad punctum, in
quo versamur, nec sufficiens, nec necessaria
est: quod unà, vel alià ratione sic ostendo.
Sit prima. Distinctio virtualis, quæ est inter
intellectum, & voluntatem Dei, non præ-
stat, quod intellectus & volitio distinguan-
tur realiter in Deo, quamvis hæc ad volun-
tatem, & illa ad intellectum spectet: sed ad
summum quod virtualiter solum sint distin-
ctæ. Ergo quod intellectus, & voluntas,
quod intellectus & volitio virtualiter distin-
guantur, non efficiet, quod ratio Verbi in
processione secundæ Personæ, & ratio Amo-
ris in processione tertiæ distinguantur reali-
ter; sed ad summum quod virtualiter diffe-
rant. Sit secunda. Quomvis intellectus & vo-
luntas virtualiter distinguantur, nihilominus
utraque processio est saltem realiter intelle-
ctio, & volitio, quæ ad intellectum, & vo-
luntatem pertinent. Ergo similiter licet vir-
tualiter distinguantur intellectus & voluntas,
utraque processio habebit esse per modum
Verbi, qui modus pertinet ad intellectum; &
utraque esset per modum Amoris, qui mo-
dus pertinet ad voluntatem.

Ad r. ref.
pondeo
cum dif-
paritate.

204. Ad argumentum, concessis majo-
ri, & minori, nego consequentiam. Dispa-
ritas est. Quia cum de ratione Verbi, ut est
verbum alicujus se ipsum, suamque naturam
dicentis, sit, quod procedat ut similitudo natu-
ræ dicentis; fit quod ratio Verbi, prout spe-
cialiter, & ultimò determinat processionē di-
vinam, & terminum divinæ processionis; præ-
stat, non quod processio divina sit origo vi-
ventis à vivente conjuncto; hoc enim com-
mune est utrique processioni, ut comuni-
ter docent Theologi; sed quod processio di-
vina quasi ultimò, & specialiter determina-
ta per rationem Verbi, sit in similitudinem
naturæ, vel similitudo naturæ, seu quod ejus
terminus divinus eò, quod ultimò dermine-
tur ad hoc ut procedat ut Verbum, sit in si-
militudinem naturæ; quæ omnia faciunt, &
quod processio divina sit generatio, & quod
ejus terminus sit Filius. At verò cum ratio
Amoris nullatenus habeat ex suo conceptu,
quod sit similitudo amantis, nec boni ama-
ti; fit inde, quod ratio Amoris, prout quasi
ultimò processionem divinam determinat,
non præstat ei, quod sit similitudo naturæ,
vel in similitudinem naturæ; ac proinde nec
quod processio divina per rationem Amoris
determinata, sit generatio, nec ejus termi-
nus Filius.

Verbum
dicitur ra-
le ut pro-
cedes per
intellectu
proprium
Patris, &

205. Ad confirmationem, concessâ ma-
jori, nego minorem. Ad probationem, di-
stinguo majorem: ratio Verbi desumitur ab
eo, quod processio secundæ Personæ fit per
intellectum, ut proprium Patris, & notio-
naliter sumptum, concedo; per intellectum

Theol.

ut communem tribus Personis, & absolute
sumptis, nego majorem. Et idem est de
voluntate ut appropriatâ, & modificatâ re-
latione Spiratoris. Deinde concessâ mino-
ri, nego consequentiam. Solutionis ratio
desumitur ex dictis supra, ubi statuimus
pro principio quo proximo generationis
Verbi intellectum ut modificatum relatione
Patris; & pro principio spirativo volunta-
tem modificatam relatione Spiratoris. Ex
quibus fit, quod processio Verbi fit median-
te intellectu prout modificato relatione pri-
mæ Personæ; & processio Spiritus Sancti fit
mediante voluntate ut modificatâ relatione
Spiratoris, quæ duabus Personis, unì im-
productæ; nimirum Patri, & alteri produ-
ctæ nimirum Filio, convenit. Ergo jam
processio, quæ est per modum Amoris, sup-
ponit prius prioritate originis Verbi proces-
sionem. Cum ergo, ut benè Sanctus Tho-
mas quæst. 10. de Processionibus Divinis,
artic. 2. in corpore; solus ordo processio-
num, qui attenditur secundum originem,
processiones multiplicet realiter in Divinis;
patet, quod processio Verbi cum sit prior
origine processionis Spiritus Sancti; sit etiam
nò virtualiter, sed realiter distinctâ à proces-
sione Spiritus S. quamvis intellectus, & vo-
luntas realiter sint idem: quia origo & pro-
cessio divina non sumitur solum à perfectio-
ne absolutâ; sed ab illa prout appropriatâ,
vel prout includente proprietatem, seu
relationem.

206. Sed replicabis. Ergo nulla est ra-
tio, quare processio secundæ Personæ sit
aut denominetur processio Verbi potius,
quàm processio Amoris. Consequens est
absurdum, ut potè contra Evangelium Joan-
nis dicentis: *In principio erat Verbum, &
Verbum erat apud Deum.* Quæ verba, fide
certum est, applicari secundæ Personæ Tri-
nitatis. Consequentia tamen probatur. Quod
processio secundæ Personæ sit processio Ver-
bi, non provenit à solâ relatione Patris, ut
relatio est, vel ut est ratio distinguendi: quia
processio Verbi spectat ad intellectum: rela-
tio autè Paternitatis, ut ratio est distinguen-
di, non est intellectus; Tum quia intellectus
ratio distinguendi non est: Tum quia aliàs
Filius non haberet formaliter intellectum;
cùm formaliter relationem Patris non ha-
beat. Deinde non provenit à solo intelle-
ctu. Tum quia processio passiva secundæ
Personæ supponit processionem, sive ori-
ginem activam, generativamque poten-
tiam, quæ nullo modo consistit in solo
intellectu, nec in solâ aliâ perfectione ab-
solutâ, ut constat ex dictis. Atqui quod
processio secundæ Personæ specialiter sit
& denominetur processio Verbi, non pro-
venit à conjuncto ex intellectu, & rela-
tione Patris. Ergo nulla est ratio, quare
processio, & c.

notionali-
ter sumptam.

Infant.
Ergo nul-
la est ra-
tio fecer-
ens pro-
cessionem
verbi à
processio-
ne amoris

C c

207. Mi-

207. Minor probatur. Intellectus in Patre, & voluntas reipsa à parte rei, & sumptæ absque dependentiâ à nostris conceptibus, idem omnino sunt. Ergo realiter idem est conjunctum ex relatione Patris, & intellectu, ac conjunctum ex relatione Patris, & voluntate. Consequentia patet. Quia intellectus, & voluntas in Deo realiter formaliter sunt idem. Ergo realiter formaliter idem est, secundam Personam procedere ex conjuncto intellectus, & Paternitatis; ac procedere ex conjuncto voluntatis, & Paternitatis. Ergo non est, cur processio secundæ Personæ sit potius processio Verbi, quam Amoris. Hæc consequentia probatur. Quia processio secundæ Personæ realiter formaliter est, & denominatur processio Verbi ex eo quod realiter formaliter oritur ex conjuncto Paternitatis, & intellectu. At realiter formaliter oritur ex conjuncto Paternitatis, & voluntatis. Ergo processio secundæ Personæ vel simul erit realiter formaliter processio Verbi, & processio Amoris; vel nulla est ratio, quare processio secundæ Personæ sit, & denominetur potius processio Verbi, quam Amoris.

Omnes sententiæ instantiæ rationibus responde-
re tenentur.

208. Verùm omnes sententiæ huic argumento respondere tenentur. Pro cujus solutione nota breviter, supponendas esse duas processiones realiter distinctas in Deo; primam scilicet, & secundam; nimirum processionem secundæ Personæ, & tertiam processionem. His ergo positis, nostra solum interest, quod proprium Theologorum est, scilicet investigare, & rationem dare, quare processio secundæ Personæ realiter formaliter sit processio Verbi, & non Amoris; & quare tertiam Personæ processio sit non processio Verbi, sed Amoris; & denique, cur hæc processiones realiter distinguantur, cum intellectus & voluntas sint in Deo una indivisibilis entitativa perfectio, idemque sit in Deo conjunctum Paternitatis, & intellectus; & ipsius Paternitatis, & voluntatis conjunctum: in hoc ergo tota sistit, & vertitur difficultas; cui tamen ita censeo satisfaciendum.

Igitur sequelam inficior.

209. Respondeo igitur ad replicam in formam negando primam consequentiam. Ad cujus probationem, concessam majori, nego minorem. Ad cujus probationem, concedo antecedens, primam & secundam consequentiam; sed tertiam rotundè inficior, quod scilicet non sit, cur processio secundæ Personæ sit, vel denominetur processio Verbi potius, quam Amoris. Ad ejus probationem distinguo majorem: quia realiter formaliter oritur ex conjuncto Paternitatis, & intellectu; hoc est, ex Paternitate, & processione divinâ, quæ solum sit perfectio intellectus, & non perfectio voluntatis, &c. nego majorem: ex Paternitate, & ex perfectione divinâ, quæ

præus petit notionaliter operari per operationem intellectus, concedo majorem; & sub eadem distinctione nego consequentiam.

210. Illustratur solutio. Quamvis igitur intellectus, voluntas, & natura divina (& sic de aliis) sint unica, & indivisibilis perfectio realis in Deo; nihilominus datur ratio, cur processio secundæ Personæ sit, & denominetur realiter processio Verbi, & non Amoris. Ratio autem est. Quia cum supponamus ex Fide, perfectionem divinam notionaliter sumptam, habere duas operationes, & processiones; rectè inferimus, primam processionem, quæ secunda Trinitatis Persona procedit, esse realiter processionem Verbi; quia cum natura rationalis operatur, servat hunc ordinem: nimirum quod præus operetur per intellectum, & posteriùs per voluntatem, ut videre est in potentiis animæ, quæ licet simul sint, & radicentur in animâ, præus operatur potentia intellectiva, quam volitiva; priorque est processio Verbi creati, quam processio Amoris creati: Imò in sententiâ non distinguente potentias ab animâ, id clarè ostenditur. Nam licet eadem perfectio animæ sit perfectio intellectus, & voluntatis realiter, & identicè; nihilominus eadem animæ perfectio præus elicit, & operatur processionem Verbi, quod est terminus intellectus, quam processionem Amoris, qui attinet ad voluntatem.

211. Sic ergo, licet realiter eadem divina perfectio sit intellectus, & voluntas; cum talis perfectio præus notionaliter operetur per intellectum, quam per voluntatem, prima processio illius, quæ est secundæ Personæ, est, & denominatur processio Verbi, quæ ad intellectum spectat; & non Amoris, quæ est origine posterior, & pertinet ad voluntatem: ac proinde sufficiens ratio assignatur, cur principium primæ processionis dicatur conjunctum ex Paternitate, & intellectu; & processio illius sit processio Verbi, & non Amoris: semper enim voluntas producit, aliâ præsuppositâ processione; cum non tendat in aliquid, nisi præexistente productione intellectus. Et hinc est, quod Deus duplici modo, & ordine quodam originis procedat de Deo: ut Verbum scilicet, & ut Amor: At ut procedat realiter ut Amor, præus prioritate originis debet realiter procedere ut Verbum: quia conceptio rei amatæ semper præsupponitur, & præexistit processioni Amoris.

212. Opponitur tandem. Sequitur ex sententiâ nostrâ, Spiritum Sanctum esse realiter, & identicè Filium, etsi non formaliter ex vi peculiari suæ processionis.

Tandem obijciatur, inde sequi Spirit. S. esse realiter Filium.

Conse-

Consequens est absurdum. Ergo. Sequela probatur primò. Nam cui convenit definitio cum addito, cum eodem addito convenit definitum. At Spiritui Sancto convenit definitio Filii cum hoc addito, nimirum materialiter, & identicè; cum sit procedens in similitudinem naturæ identicè per processionem; etsi non ex vi processionis formaliter. Ergo erit identicè Filius. Secundò. Quod est simile producenti in naturâ ex vi processionis, est Filius formaliter ex vi processionis. Ergo quod est simile producenti in naturâ identicè, & materialiter tantum, licet non ex vi processionis, erit identicè Filius. Tertio. Spiritus Sanctus est Deus identicè per processionem; quia per illam ei communicatur identicè natura divina, etsi non sit Deus ex vi processionis formaliter, eò quòd non communicatur natura formaliter ex vi processionis. Ergo pariter erit identicè Filius per processionem, si per processionem habet esse identicè similem producenti in natura, quamvis formaliter, & ex vi processionis non sit Filius, eò quòd non habeat talem similitudinem formaliter, & ex vi processionis. Quarto. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio; sed solum à Patre, tunc Persona Spiritus Sancti esset identicè Filius, quia identicè ei conveniret definitio Filii, eò quòd identicè in similitudinem naturæ procederet. Ergo si modò identicè in similitudinem naturæ procedit, sive similitudinem naturæ identicè habet, dicendus erit identicè Filius.

Expendo
cōmunē
aliorum
solutionē.

213. Hoc argumentum nullum nobis negotium facessit, alios tamen non parum urget. Propterea Godoy ubi supra num. 105. & alii communiter respondent: Quod licet Spiritui Sancto conveniat esse similem in naturâ cum addito illo, nimirum identicè; definitio tamen Filii non convenit illi cum addito: Additum enim illud destruit definitionem Filii, eò quòd verba definitionis formaliter sunt accipienda; ac proinde cum in definitione Filii dicatur, quod in similitudinem naturæ procedat, debet hoc explicari formaliter, & ex vi processionis: Unde addito *ly materialiter*, ponitur aliquid destruens definitionem generationis. Ex quo respondent ad primam, & secundam probationem. Ad tertiam, concessio antecedenti, & consequentiâ negatâ, dicunt, disparitatem esse. Quia in definitione Deitatis non ponitur, quod competat, vel non competat per processionem; benè tamen in definitione Filii. Unde, ut sit Deus, necessarium non est, quod Deitas illi conveniat ex vi proces-

Theol.

sionis; benè verò, ut sit Filius. Ad quartam rationem, concessio antecedenti, & consequentiâ negatâ, dicunt, discrimen esse: Quia in eo casu esset Persona Spiritus Sancti identificata cum aliqua, cui ex vi processionis conveniret Dei natura formaliter; scilicet Filii; & ideo esset Filius identicè; modò autem sub nullâ ratione sibi identificatâ, habet naturam Dei formaliter ex vi processionis; & ideo Filius non est adhuc identicè.

214. Nos tamen huic modo discurrendi non insistimus, ut ex totâ disputatione constat. Propterea ad argumentum respondeo, negando sequelam. Ad primam probationem, concessio majori, nego minorem, etiam quoad secundam partem; quod scilicet Spiritus Sanctus procedat similis in naturâ, vel ut similitudo naturæ materialiter, & identicè. Licet enim concedendum sit, Spiritum Sanctum procedere ut Deum, non solum materialiter, sed etiam formaliter; cum nullo modo sit Deus, nisi de Deo, ut constat ex primâ Conclusionem: Nunquam tamen, præcipue à nobis, est concedendum, Spiritum Sanctum procedere ut similitudinem naturæ, non solum formaliter, sed nec materialiter, & identicè. Moveor ad hoc primò. Quia quod est proprium secundæ Personæ, nec materialiter, & identicè potest alteri competere. Sed est proprium secundæ Personæ, quod procedat in similitudinem naturæ, seu quod sit similitudo naturæ producentis, & ideo dicitur Filius. Ergo procedere in similitudinem naturæ, nec materialiter potest Spiritui Sancto competere. Secundò. Quia cum Spiritus Sanctus sit Deus de Deo, non potest concipi, quod sit talis, nisi per communicationem naturæ vel formaliter, vel materialiter. Ergo sicut Spiritus Sanctus est saltem materialiter Deus; quia Deitas non ex vi formali, sed ex vi materiali, & identicè tantum communicator, ita erit materialiter Filius; quia similitudo naturæ, vel in naturâ ei communicatur materialiter, & identicè, licet non ex vi formali. Nec valet dicere, competere secundæ Personæ, quod procedat in similitudinem naturæ formaliter, & ex vi sue processionis; quod omnino requiritur ad rationem Filii: Quo pacto non competit Spiritui Sancto; sed solum materialiter, & identicè, quod nullatenus sufficit.

Nego sive
quelam.

215. Hoc autem non valet: Quia id ipsum est, quod intendimus, ut falsum convellere; scilicet implicare, quod id, quod habet una Persona ex vi sue processionis formaliter, habeat alia Persona material-

Implicat
igitur unâ
Personâ
habere
materialj.

C c 2

teria.

ter, quod
alia for-
maliter.

terialiter, & identicè: Quod sic ostendo. Tam proprium est secundæ Personæ, quod sit origo viventis à vivente, &c. ex vi suæ processionis, ac est proprium illius, quod procedat formaliter, & ex vi formali suæ processionis ut Verbum Patris; quis enim dicat, esse Verbum competere secundæ Personæ materialiter tantum, & non ex vi suæ processionis. Ast ex eo, quod sit proprium secundæ Personæ procedere ut Verbum ex vi suæ processionis formaliter, non potest dici, quod Spiritus Sanctus procedat materialiter, & identicè Verbum. Ergo neque quod procedat materialiter, & identicè in similitudinem naturæ. Certè si semel concedatur, quod Spiritus Sanctus est origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ materialiter, & identicè, vel quod Spiritus Sanctus materialiter, & identicè sit similitudo naturæ divinæ; quod formaliter, & ex vi suæ processionis habet secunda Persona; non video firmam solutionem, quare Spiritus Sanctus non sit Filius materialiter, & identicè.

Explico
ly mate-
rialiter.

216. Tum quia si ly *materialiter* non destruit, quod Spiritus Sanctus sit in similitudinem naturæ, quamvis identicè, & materialiter tantum; quæ particula præcipuè distinguit juxta Adversarios processionem secundæ Personæ, quare destruet, quod materialiter, & identicè tantum habeat rationem Filii; cum similitudo naturæ producentis sit specialis, & perpetua ratio Filii. Nec video, quam utilitatem ad hanc disputationem præstent illi termini *materialiter* ex unâ parte; & illi *formaliter*, seu *ex vi processionis* ex aliâ; præsertim cum processio divina non sit præcisiva, & præsens controversia eandem difficultatem habeat in sensu identico. Unde juxta dicta supra, aliud est, quod Spiritus Sanctus sit Deus, sicut Pater, & Filius; quod est Fide certum; & aliud, quod Spiritus Sanctus realiter, & identicè procedat in similitudinem naturæ divinæ: Hoc enim, & meritò negamus: Quia in divinis solum id, quod procedit ut Verbum, procedit in similitudinem naturæ producentis, vel ut similitudo, & imago naturæ Patris; cum ex suo quidditatitò conceptu Verbo procedenti conveniat hoc, quod est progredi in similitudinem alicujus se ipsum cognoscentis. Cum ergo Spiritus Sanctus nec identicè procedat ut Verbum; sed ut Amor, de cujus ratione non est, quod sit similitudo amantis, seu boni amati; inde est, quod licet Spiritus Sanctus sit Deus; non tamen sit Deus ut similitudo, aut imago Dei; sed solum ut Amor divinus; non quidem absolute sumptus; sed solum personaliter acceptus: Nam sicut *Verbum* est nomen personale proprium secundæ Per-

sonæ, & quasi individuale illius; sic hoc nomen *Amor divinus* procedens, aut productus, est nomen proprium, & quasi individuale. Ex quibus constat, quomodo sint reliqua argumenta dispellenda.

LECTIO VIII.

Unum, vel alterum Corollarium.

217. **E**X dictis inferes primò diffidium de re, quod intercedere potest inter nostram, & alias sententias: Nam secunda sententia ubi supra asserens, secundam Personam ideo esse Filium, quia procedit ab uno supposito: Spiritum verò Sanctum non esse Filium, quia procedit à duobus; parum aut nihil à nostrâ differre. Tum quia in divinis prima processio est per intellectum, & hæc petit esse ab uno supposito; secunda verò processio est per voluntatem, quæ supponit processionem Verbi; ac proinde petit esse à duobus suppositis. Tum quia sicut processio, quæ est per modum naturæ non præexigit aliam processionem; Ita processio, quæ est per modum intellectus: processio autem, quæ est per modum voluntatis, necessariò præexigit aliam processionem, quæ per modum intellectus est. Tum quia sicut naturâ producit aliquid in similitudinem sui, ita & intellectus. Tum quia sit ait Divus Thomas quæst. 10. de Processionibus, artic. 2. ad primum processio naturæ, seu per modum naturæ est tantum ab uno, si est perfectum agens. Nec obstat, quod in animalibus generatur aliquid de duobus, scilicet ex Patre, & Matre: Nam solus Pater est agens in generatione; Mater verò pariens; similiter autem processio intellectus est ab uno solo. At verò amicitia, quæ est amor mutuus, procedit ex duobus ad invicem se amantibus. Relinquitur ergo, quod in divinis processio, quæ est per modum intellectus, non distinguatur à processione, quæ est per modum naturæ, & ab uno supposito. Nostra tamen sententia hoc ipsum defendit; sed ostendit rationem clariorem, quare secunda Persona procedat in similitudinem naturæ; qui est conceptus proprius generationis, & filiationis.

218. Inferes secundò. Tertiam P. Vaf. quæ sententiam facile cum nostrâ componi. Quia non aliunde provenit, quod secunda Persona procedat ut imago Patris, nisi quia procedit ut Verbum expressivum Patris,

In quo
nostra ab
aliis sen-
tentis dif-
ferat?

P. Vaf.
quæ sententiam
facile nobis
componit.

Patris, se ipsum intelligentis, & accipiens eandem naturam per modum similitudinis, quare potest esse imago naturalis, quin procedens sit Verbum, ut constat in genito creato: Quare autem genitum divinum sit imago naturalis, est; quia procedit ut Verbum in eadem naturâ. Displicet tamen ea sententia in eo, quod addit: Spiritum scilicet Sanctum procedere ut similem, vel in similitudinem producentis: Quia, ut constat ex dictis, non est idem, Spiritum Sanctum procedere ut Deum, ac procedere in similitudinem Dei.

In quo vera sit quarta sententia.

219. Inferes tertio. Quartam sententiam veram esse, quatenus ait, Filium in divinis accipere à Patre naturam ad alterius suppositi productionem; eam tamen non esse rationem clarâ, & immediatam, cur secunda Persona sit Filius; sed eam, quâ dedimus. Displicet etiam hæc sententia in eo, quod addit, nempe Spiritum Sanctum ex vi suæ processions procedere in similitudinem naturæ. Nec est idem, quod Spiritus Sanctus accipiat eandem naturam, ac in similitudinem procedere, vel procedere ut similem: Quia, ut constat ex definitione generationis, similitudo naturæ, quæ ibi ponitur, cadit supra originem: Dicitur enim, quod generatio est processio, seu origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ: Cum autem ratio originis in solâ divinâ naturâ non salvetur; nihil interest, quod Spiritus Sanctus accipiat naturam divinam ad hoc, quod ex vi processions procedat similis, eò quòd origo illius non est similitudo, sicut est origo secundæ Personæ per modum Verbi procedentis.

Quintam omni ex capite rejicio.

220. Inferes quartò. Quintam sententiam, quæ tribuitur Patri Ribadeneyra, & Patri Quiroz, omni ex capite esse rejiciendam: Tum propter præcisiones formales à nobis rejectas. Tum quia intellectionem explicari clariùs, quàm volitionem à Verbo; vel sumitur respectivè ad nostros conceptus? Et hoc non: Quia Verbum divinum ut tale nec in se, nec in sui processione dependet à nostris conceptibus; ab æterno enim fuit secunda Persona Verbum, & Spiritus Sanctus non fuit Verbum, nec Filius, nullo creato existente conceptu. Vel sumitur respectivè ad conceptus divinos? Et neque hoc: Quia in divinis non est nisi unus, & indivisibilis conceptus; scilicet divinum Verbum. Tum quia Deus non cognoscit in Verbo clariùs intellectionem, quàm volitionem, nec econtrâ; aliàs præscinderet formaliter, essetque Dei imperfecta cognitio; cum minor claritas minueret perfectionem cognitionis; quæ omnia satis
Theol.

implicant. Vel sumitur ex intrinsecis prædicatis Verbi divini? Hoc autem etiam propter easdem rationes satis implicat. Ex dictis in decursu præcedentium Quæstionum sufficienter constat notitia aliquarum difficultatum parvi momenti, quæ solent hic ex professo dilputari.



QUÆSTIO IV.

Expenduntur dubia circa Divinas Relationes.



ACTENUS pleno calamo discussimus, quæ in Scholis circa divinas processiones magno inter Scholasticos dissidio solent agitari. Aggredimur in præsentis Quæstione expedire ea, quæ de relationibus divinis ventilantur; quibus omnibus breviter satisfactionem.

LECTIO I.

Quo pacto distinguantur Essentia Divina, & Relationes?

221. **D**ifficultas gravissima est; eam tamen breviter discutiam. Prout autem ad præsens attinet institutum, suppono primò relationes à divinâ essentiâ realiter non distingui; cujus oppositum docuit Gilbertus Porretanus, ut plures aiunt ex Divo Thomâ in hæc Quæstione artic. 2. & ex Divo Bonaventurâ in primo distinct. 23. contra P. Vasquium dicentem, Gilbertum solum distinctionem formalem inter essentiam, & relationes posuisse. At quidquid de hoc sit, talis sententia fuit damnata in Concilio Rhemenfi sub Eugenio III. & veritas Catholica circa punctum hoc suadet primò. Quia in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Sed hæc oppositio inter essentiam, & relationes non datur. Ergo. Secundò. Quia ex tali distinctione fieret, divinas Personas simplices omninò non esse; sed compositas ex essentiâ, & relatione. Hoc est absurdum. Ergo. Major patet. Quia compositio est distinctorum unio. Atqui in divina Persona daretur unio relationis, & essentiæ realiter distinctarum. Ergo.

Essentia divina nõ distinguitur realiter à relationibus.

222. Suppono secundò ex Fide in Deo esse
C c 3